PAX

Subiaco, Italy, Santa Scolastica (Benedictine

CONSUETUDINES

et CÆREMONIÆ Regularis Observantiæ

Monasterii Sublacensis

et venerabilis loci SPECUS S. BENEDICTI

in lucem editæ per D. Leonem Allodi

monachum eiusdem monasterii.

SUBLACI excuderunt monachi

typis Protocœnobii MCMII

Superiorum venia.

Hirt.

NUNCUPATIO

Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis Abbatibus, et viris vitæ venerabilis Patribus ac Fratribus omnibus in Christo Jesu reverendis, monachis Congregationis Cassinensis a primæva observantia, Ordinis S. Benedicti, ea qua par est reverentia, obedientia ac fraterna dilectione, salutem plurimam, pacem sempiternam et omne donum perfectum ac datum optimum a Patre luminum.

Quod modo opusculum humili mente Vobis offero, pergratum et iucundum me omnibus facturum confidens, consuetudines et cæremonias referens vitæ regularis antiquitus usitatas in hoc Proto-Cœnobio Sublacensi et in Venerabili loco Specus, SSmi. P. Benedicti plusquam triennali devotissima conversatione honestato et consecrato, brevissimum ipsius Sanctae Regulae commentarium in actu et exercitatione consistens dicere non ambigo. Ea enim omnia, quae pro varietate officiorum et horarum diei ac noctis diversis exercitationibus secundum regulam quotidie

monachus implere tenetur, et, quod maioris est momenti, quo spiritu, quo cordis affectu ea debet implere, plenissime continet.

Attamen non ea intentione ductus sum ut omnia quae describuntur Vobis amplectenda proponam: non equidem. Probe enim scio plurima modernis temporibus impossibilia evasisse: in iis enim praecipue quae Sacram Liturgiam spectant, Apostolica Sedes, cui omnis debetur observantia et reverentia, leges et Decreta plura edidit, quibus Missarum ac Divinorum officiorum celebratio, et alia quae ad publicum divini cultus servitium pertinent, sapientissime disponuntur et moderantur, quaeque adamussim observari ac privatis placitis omnino anteponi oportet. Sunt et alia non pauca, quae propter nimis immutatas rerum, locorum, temporum ac personarum conditiones, imo etiam totius civilis et ecclesiasticae societatis mores, graviora, difficiliora, et fortasse minus opportuna evaserunt. Nonnulla tamen supersunt quae audentiori zelo, pœnitentiae ac mortificationis diligentiori studio, et ferventiori caritate adhuc fieri forte possent; sed obstat, hei misero mihi! nimia humana fragilitas, et lacrimabilis illa sortis nostrae conditio, qua necesse est de mundano pulvere religiosa quoque corda sordescere. At saltem, quaeso, ex consideratione eorum, quae Patres illi antiqui toto vitae suae cursu prompto hilarique animo strenue impleverunt, hoc nobis incrementum colligi detur, ut scilicet sedulorum studium amplius alliciatur et desidum segnities vividius provocetur. Inde namque Patrum nostrorum pulcra contemplantes vestigia, nostraeque sanctae religionis mira et pura cernentes initia, aut meliores illorum efficiamur exemplis, atque, erubescente conscientia, corruptae carnis desideria ac voluptates refrenemus; vel certe tales habuisse Patres sit nobis iucunda memoria, et ad aemulanda charismata meliora efficax stimulus.

Accipite ergo, Patres et Fratres in Christo Venerandi, hanc qualemcumque opellam, sub alis vestræ protectionis fidenter confugientem, quam ad monastici ordinis utilitatem atque ornamentum, et ad optimum fratrum nostrorum exemplum profuturam esse confido. Quapropter eam non ad historiæ et critices hodiernæ rationes exigere curavi: parum quippe, vel nihil ad rem nostram conferre duxi adnotare et indicare variantia quæ forte in aliis codicibus Consuetudines nostras referentibus inveniantur, initium et finem paginarum codicis nostri; an, exempli gratia, littera - V - ita scribatur, vel potius - U - iuxta veterum scriptorum morem; et cætera huiusmodi, quæ magni a criticis nostri ævi existimari probe novi; sed simpliciter diligentia ac fidelitate maxima Codicem in bibliotheca nostra servatum de verbo ad verbum, dictiones contractas solvendo exscripsi, et Vobis, nullum honoris aut laudis ius mihi præsumens, humili mente offero.

Accipite, inquam, tamquam pignus aliquod meæ in dilectam Congregationem nostram propensissimae voluntatis; in hoc praecipue Proto-Cœnobium, cuius me susceptio a quadraginta quinque annis fovet et alit, amoris et grati animi testimonium: in Vos denique omnes illius reverentiae et observantiae indicium quibus studiosissime prosequor.

Deus Optimus Maximus sospitet Vos semper, et in sua gratia et caritate conservet. Valete.

Scribebam Sublaci in Proto-Monasterio S. Scholasticae Virginis, in die festo Smi. P. Nostri Benedicti, 21 Martii 1902.

Addictissimus vester ut filius et Confrater

D. Leo Allodi O. S. B.

AD LECTOREM

NONNULLA SCITU UTILIA

Codex Bibliothecæ Sublacensis Proto-Monasterii, ex quo sequentia excerpsimus, membranaceus est, sæculo XIV exaratus; qui si fuisset caute in primitiva sua integritate servatus, utique inter magnificentiores et illustriores codices esset adnumerandus: quæ supersunt enim optimum de asserta veritate præbent testimonium. Folia quibus constat dimensiones habent 0.270 X 0.190: sunt numero 126: usque ad quadragesimum numerantur litteris, uti vocant, gothicis maiuscolis, rubro et cœruleo coloribus pictis: a quadragesimo primo usque ad ultimum numerantur arabicis numeris nigro atramento per manum R. P. D. Isidori de Su Parmensis, Monachi Congregationis Cassinensis, in re diplomatica et ordinandis archivis peritissimi. Paginæ non bipartiuntur, earumque linearum numerus varius est iuxta diversitatem manuum scribentium.

In hoc codice hæc habentur, videlicet:

1. - *Regula S. P. Benedicti,* - pulcherrimo charactere et elegantissimis litteris gothicis conscripta: desiderantur tamen viginti priora folia, quæ continebant viginti septem prima Regulæ capitula: folium XXI his verbis incipit - ... *batis assumebatis, et quod debile erat proiiciebatis* - ex Cap. XXVII. In fine regulæ, folio XL rubris

litteris conscripta leguntur hæc verba - *Explicit regula Beatissimi patris nostri Benedicti Abbatis; facientibus hæc vita erit eterna. - Finito libro sit laus, Gloria Christo* - . . . . *Fol.* XXI—XL

2. - In eodem folio XL.vo adest excerptum ex actis Visitationis Dni Lucæ Card. S. Sixti Visitatoris ac Reformatoris Monasterii Sublacensis, quoad substituendum Priorem, casu absentiæ. . . . . ,, XL.vo

3. - *Cerimonie et consuetudines* - (quas edimus) . . . . ,, 41—65

4. - *De occurrentiis divinorum officiorum* - (App. I) . . . . ,, 65.vo—66

5. - *Prohibitio esus carnium* - (App. II) ,, 67—69

6. - *Modus vel forma absolutionis* . . ,, 69.vo

7. - *Tractatulus de observantiis regulæ,* editus per magistrum Henricum de Hassia doctorem eximium Sacræ Theologiæ in Vienna regentem. . . . . ,, 70—73

(In fine notatur annus 1419: folia sunt curtiora).

8. - *Bulla Benedicti XII,* pro Ordine S. Benedicti . . . . ,, 74—120

(Eodem charactere eademque manu conscripta qua Regula S. Benedicti, de qua supra, N. 1).

9. - *Epistola Joannis Episcopi Anagnini* (App. III) . . . . ,, 73.vo

10. - *Privilegium Urbani V* anno 1370 datum, pro meliori statu monasterii Sublacensis et specus . . . . ,, 120—121

11. - *Casus maioris excommunicationis.* ,, 121vo-126

Folia denique omnia obstringuntur tantum spissiori et crassiori charta albi coloris, et signatur a tergo N. CVIII, antiquitus tamen 1004.

***

Regularis observantiæ Sublacensis consuetudines et cæremoniæ inveniuntur in Chronicon Mellicensi D. Anselmi Schramb O. S. B., Viennæ in Austria impresso typis Joannis Georgii Schlegel, 1702; multis tamen demptis, pluribus immutatis, plurimis quoque additis. Cur hoc? Quid Sublacenses cum Mellicensibus? Accipe brevissimum responsum. « Tandem agebatur annus « Dominicæ incarnationis millesimus octogesimus nonus, « Leopoldi III Pulchri, marchionis Austriæ V, cui « placuit, dimissis canonicis iam ann. 156 Mellicensem « Ecclesiam incolentibus, viros religiosos Ordinis S. Pa- « tris Benedicti substituere, *iisdemque ex Sublacensi « primo Ordinis nostri Asceterio.... accersitis,* ecclesiam « et locum Mellicensem, cum omnibus iuribus et pos- « sessionibus consignare. Instituti itaque sunt Benedi- « ctini sub Urbano II .... ipsa die Sanctissimi P. Bene- « dicti Sacra, anno 1089. » (Chron. Mellic. Sigiboldus Abbas I. Imp. Henrico V. ab anno 1079 ad ann. 1116: pag. 44: vide quoque Pag. 51). Sublacenses monachi igitur fundatores vocari possunt monasterii Mellicensis in Austria, cuius familiam primam constituerunt, regulam sanctam absque dubio exercentes secundum consuetudines et cæremonias quas Sublaci didicerant, et quarum exemplar secum detulerant. Nec satis: anno 1418, Albertus V Archidux iterum Sublacenses monachos vocavit ad restaurandam in monasterio Mellicensi collapsam monasticam disciplinam, missis legatis ad Pontificem Martinum V Constantiæ sedentem Sacri Concilii causa. Monachi ad hoc electi et destinati, fuerunt: Fr. Nicolaus Seyringer de Mazen. Visitator et Reformator, qui postea abbas Mellicensis fuit: Fr. Antonius de Catalaunia: Fr. Mathias de Borussia: Fr. Nicolaus de Respiz, deinde

Abbas monasterii Scotorum: Fr. Petrus de Bavaria ex Rosenheim, postea Prior Mellicensis: Fr. Petrus de Neumburga in Austria deinde Abbas Cellæ Mariæ, et Fr. Gaspar de Gärsten. (Vide Chron. Mellic. Nicolaus Abb. Mellicen. XXXII: ab anno 1418 ad ann. 1425: pag. 317 et seq. Vide Statuta Sublacensia, ibi a pag. 320 ad pag. 355). De colonia Sublacensi ad Monasterium Mellicense præfato anno destinata, anonimus quoque Scotensis his verbis refert:

« Anno Dni MCCCCXVIII tempore Concilii Constan-
« tiensis et Martini Papæ, Dnus Albertus Dux Austriæ
« habito Consilio cum Episcopo Georgio Pataviensi, et
« Doctoribus huius Almæ Universitatis dixit secretum
« suum, quod intenderet, ut Monasteria in sua ditione,
« quæ ad collapsum pervenerunt, reformarentur. Et
« ecce dubium fuit ubi reperirentur idoneæ personæ ad
« hunc finem, et venit tandem ad memoriam aliquibus
« Doctoribus de quibusdam Australibus, qui condam
« hic in studio steterunt, et se postea ad religionem
« dederunt ad *Specum,* ubi S. Benedictus factus Mona-
« chus a S. Romano habitum recepit. Sic et isti secuti
« sunt eum, quia ibi regularis observantia vigeret, et
« maxime in *Sublacu,* qui numquam recesserat ab obser-
« vantia. Quo audito prædictus Princeps misit legatos
« in propriis expensis ad *Specum,* qui adducerent ali-
« quos Patres pro reformatione. Postquam pervenerunt
« ad locum, rogaverunt Dominum Abbatem et Conven-
« tum ex parte Ducis Austriæ et ex parte Concilii, ut
« sibi remitterent aliquos Patres et Fratres pro reforma-
« tione idoneos. Et Abbas congregato Capitulo habuit
« consilium Fratrum, qui tandem consenserunt unanimi-
« ter et elegerunt septem de Patribus et Fratribus, quos
« legati duxerunt primo ad Concilium Constantiense,
« ubi data est eis auctoritas ad reformandum. Et tandem

« pervenerunt ad Austriam, et facta est Visitatio primo in « Medlico (Mellicij) et ibi deposito Abbate, Prior de Specu « Nicolaus dictus de Marazan Baccalaureus in Theo- « logia, et aliqui Patres de Specu sibi sunt adiuncti: « Petrus de Rosenheim Prior factus, Notarius et Con- « ventualis de Specu natione Bavarus.

« Eodem anno MCCCCXVIII facta est etiam Visi- « tatio ad Scotos Viennæ, et similiter deposito Abbate « Thoma de Scotis ultimo, elegerunt Dnum Nicolaum « in Abbatem, dictus de Respicz (modo Reschitz, pagus « in Austria inferiore cis montem Meinhardi situs) et « similiter addiderunt sibi aliquos Fratres de Specu in « adiutorium, quia senex iam erat; et Scoti omnes « recesserunt de loco.

« Tempore vero huius Nicolai Abbatis bis facta est « Visitatio ad Scotos. Secunda vero vice facta est per « Dnum Nicolaum Abbatem Mellicensem (qui ab Anno « MCCCCXVIII ad Annum MCCCCXXV præfuit, et « dicto Anno in die Nativitatis Dni obiit) et per Abba- « tem de Altaha inferiori (celebri in Bavaria Asceterio « Ord. S. Bened.) et receptus est pro tunc Prior unus « Mathias nomine Conventualis de Specu.

Quoad convenientias Sublacensium et Mellicensium monachorum vide quoque Chron. Sublac. Annotationes P. Josephi Macarty. (Annotationes sub litteris I et Bb, pag. 681 et 715).

Incipiunt cerimonie regularis observancie ordinis sanctissimi patris nostri Benedicti, ex ipsius regula sumpte, secundum quod in sacris locis sancti Specu et Monasterio Sublacensi practicantur. In nomine patris et filii et spiritus sancti amen.

Quamvis beatissimi patris nostri Benedicti regula sufficientissime ac clare regularis vite exprimat modum ac formam, beato teste Gregorio secundo dyalogorum libro sic dicente: Scripsit autem vir sanctus regulam, etc: Tamen quia modernis temporibus tum propter monastici ordinis lapsum, tum etiam propter varias diversorum monasteriorum ob defectum visitationum consuetudines in multis cerimoniis regularibus in regula ipsa descriptis atque expressis variis varia est praxis, ymmo in nonnullis regularis practica quasi per omnia in obscuritatem conversa est, ita videlicet ut non sint practicata in opere; etiam ipsa aliter quam clare sonent intelligantur verba regule sancte. Quare pro aliquali introductione eorum que ipsius regule amatores sanctique professores existunt, presens describitur brevissima formula vite regularis ordinis ut practicatur in sacro loco Specus ipsius qui ipsum ex huius mundi naufragio fugientem suscepit, atque a cunctis mortalium oculis, ut mortalibus contra mortis eterne pericula suo tempore aptus fieret medicus, annis tribus se abscondit. Hec autem formula a completorio in completorium tocius noctis atque diei tempora quo ad ea que singulis horis agenda sunt, et

qualiter agenda sint, succincte percurrit; et quedam alia que secundum distinctiones temporum describi nequeunt, cum non diebus certis vel horis occurrant, prout tempus patitur, subiungendo.

DE SONANDO AD COLLACIONEM

CAPITULUM I.

Omni itaque tempore quando bis manducatur, facta cena, et postquam manducaverunt lector et servitores, post tocius diei occupaciones circa exteriora, sic sonetur ad lectionem collacionum, et competens lectio fiat iuxta tenorem XLII capituli regule, scilicet de collationibus, vel vitas patrum, sive aliquid aliud huiusmodi quod edificet audientes, et Abbas vel prior aliquid simplicioribus de ipsa lectione exponat, prout viderit expedire. Finita itaque lectione, et dicta a lectore lectione apostoli et - *fratres, sobrii estote et vigilate, etc.* - cunctis adhuc sedentibus atque respondentibus: - *Deo gratias.* - Post hoc surgant, et ordinate, cunctis exterioribus iam exoccupatis, intrent chorum omnes, et facta profunda inclinatione coram altari, vadant ad loca sua, et sonetur componella (*sic*) chori parvula ad hoc ordinata per duo - *Ave Maria.*

DE COMPLETORIO

CAPITULUM II.

Finitoque pulsu, Abbas vel prior incipiat versum - *Adiutorium nostrum in nomine domini* - cunctis respondentibus - *Qui fecit cœlum et terram.* - Statim subiungitur - *Pater noster* - secreto et - *Ave maria.*- Quibus finitis dicat Abbas confessionem profunde inclinatus, sub

hac forma - *Confiteor Deo omnipotenti, beate marie semper virgini, beato Benedicto, sancte scolastice et omnibus sanctis et vobis fratres* (fratres vero - *et tibi pater*) *me graviter peccasse per superbiam in lege dei mei, cogitatione, delectacione, obmissione, consensu, visu, verbo et opere; mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam mariam semper virginem, beatum benedictum, sanctam Scolasticam et omnes sanctos, et te patrem orare pro me* - vel - *vos fratres,* - *orare pro me* - *et* fratres dicunt - *Misereatur tui* - vel - *nostri, omnipotens deus, et dimissis omnibus peccatis tuis* - vel - *vestris, perducat te* - vel - *vos, in vitam eternam.* - Abbas dicit - *Amen* - et fratres subiungunt - *Confiteor Deo omnipotenti* etc. *Ideo precor* etc. *et te pater orare pro me.* - Abbas respondit - *Misereatur vestri omnipotens deus* etc, et fratres dicunt - *Amen.* - Abbas - *Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens dominus* - Respondent fratres - *Amen.* - Deinde facto signo per Abbatem cum manu modicum percusso sedili, incipiat ebdomadarius - *Converte nos* - etc. usque ad finem. Finito completorio diurno, premisso - *Ave maria* - incipitur completorium de domina, et dicto - *Benedicamus domino* - dicat Abbas - *Benedicat et custodiat nos omnipotens deus, pater et filius et spiritus sanctus* - omnibus genua flectentibus et dicentibus - *Amen,* - nisi quod Abbas stando et cantando incipit - *Salve* - vel antiphonam que competit. Qua incepta et ipse similiter flectit genua. Dicto - *misericordie* - omnes surgant stantes erecti, et finita antiphona, dicat accolitus versiculum qui competit, et Abbas subsequetur orationem competentem. Et responso - *Amen,* - deinde dicatur officium de sancto benedicto, sine - *Deus in adiutorium* - sed simpliciter dicendo antiphonam - *Ecce vir dei benedictus.* - In fine, dicto - *Fidelium anime* - etc. ab Ebdomadario, exeant fratres et stent

secundum ordinem, versisque vultibus ad altare, dicant hanc trinam orationem - *Pater noster* - primo ad patrem, cum oratione, scilicet - *Domine Deus, pater omnipotens, qui consubstantialem et coeternum tibi ante omnia secula ineffabiliter filium genuisti, cum quo atque cum spiritu sancto ex te eodemque filio procedente, omnia quecumque existunt visibilia atque invisibilia creasti* - hic omnes ad signum Abbatis, tangentis sedile parum, flectant genua, dicentes: - *Te adoro, te laudo, te benedico, teque glorifico: esto, queso, propicius mihi peccatori, et ne despicias me opus manuum tuarum; sed salva et adiuva me, propter nomen sanctum tuum.* - Deinde surgentes, ad filium dicunt secreto - *Gloria in excelsis deo* - cum oratione, scilicet - *Domine ihesu christe fili dei vivi, qui es verus et omnipotens deus, splendor et ymago patris, et vita eterna; cui una est cum patre sanctoque spiritu substantia, equus honor, eademque gloria et coeterna maiestas* - iterum flexis genibus, dicitur - *Te adoro, te laudo, et benedico teque glorifico: ne me, obsecro, perire paciaris; sed salva me, et adiuva me gratuito munere tuo, quem dignatus es redimere precioso sanguine tuo.* - Deinde surgunt, dicentes ad spiritum sanctum - *Credo in Deum* - cum oratione - *Domine sancte spiritus, omnipotens deus, qui coequalis, coeternus et consubstantialis patri filioque existens, ab eis inenarrabiliter procedis; qui super eumdem dominum nostrum ihesum christum in columbe specie, et super apostolos in linguis igneis descendisti:* hic flectant genua - *Te adoro, te laudo, te benedico teque glorifico: repelle, queso, a me tenebras tocius iniquitatis et perfidie, et accende in me lumen tue misericordie, et ignem santissimi amoris tui.* - Hic primo tantum Abbas surgat, et aqua benedicta iuxta se posita aspergat singulos fratres adhuc flectentes: deinde omnes fratres pariter exeant, iuxta XV *(lege* LII*)* capitulum regule.

Qui vero reintrare vult cum summo silentio expleat suas orationes, ita ut nullum impedimentum alteri prestet. Post completorium vero, ut dicit capitulum XLII, strictissimum deinde teneatur silentium, usque post capitulum quod fit post primam: omnique tempore sic temperetur hora, ut luce diei omnia expleantur, iuxta XLI capitulum regule, et ut maneat fratribus tempus antequam vadant dormitum, in quo, quasi cunctis pacatis diurnis inquietudinibus, suas peculiares, prout cuilibet necessarium fuerit, expleant orationes, meditationes, contemplationes, seque recolligant de cunctis que precedenti die deliquerunt, vel contra divina aut regularia precepta, suaque delicta cum lacrimis in oratione deo confiteantur, iuxta IV capitulum. Et similiter practicent que in eodem capitulo contineantur, saltem in affectu, quia illa sunt indubie que ducunt ad perfectionem, ut ex fine eiusdem capituli patet. Sciat enim de certo monachus nil se proficere posse omnino, nec sue professioni satisfacere, si non seipsum sepius quantum profecerit in humilitate, paciencia, caritate ceterisque virtutibus, prout ad eternam vitam tendentibus necesse est regularibus aut divinis institutis, vel etiam quantum defecerit, apud se discusserit. Hoc enim volt quod in nostra professione exprimimus, scilicet correctionem morum secundum regulam sancti benedicti, ut in capitulo LVIII exprimitur: quod illo aptissimo tempore fieri debet, supplendo aliis temporibus silencii, quod hic expleri non potest. Et precipue ihesu christi domini nostri vitam aliquociens meditari; ut sic seipsum abnegans, ipsum sequatur, ut in eodem IV capitulo dicitur. Et sic verificatur quod in fine prologi dicitur, videlicet, quod perseverantes in monasterio per pacienciam christi passionibus participemur, ut regni eius mereamur fieri consortes. Maxima autem cura sit Abbati ut non dormientes, ullo umquam tempore impe-

dient quiescentes, iuxta XLI capitulum. Si vero opus fuerit rumpere silencium post completorium, sic fiat, ut loca communia monachorum, videlicet refectorium, dormitorium, claustrum, infirmaria, nullo modo inquietentur: proviso etiam quod Abbas attentus sit ne forsan aliqui fratrum de sero excedant vigilando, in tantum quod se reddant impotentes ad regulares vigilias, sicut sepissime solet contingi indiscretis.

DE DORMITORIO FRATRUM

CAPITULUM III.

Fratrum autem dormitorium non sit distinctum per cellas, sed habeant lectos iuxta tenorem XXII capituli regule. Sit tamen inter lectum et lectum intersticium tabularum, quod prohibeat mutuam visionem fratrum in lectis iacentium vel legentium, sintque desuper cooperti propter pulveres et frigus. Loca etiam sic sint ordinata, ut quilibet habeat fenestram pro lumine diei ad legendum et scribendum, et mensulam ibidem collocatam atque sedem, et huiusmodi que necessaria sunt pro talibus. Lectus autem sit saccus stramineus cum panno laneo grosso superposito, et una lodice pro coopertorio, et plumacia sub capite tantum, et non aliud, iuxta sententiam capituli LX (*leg.* LV) et XXII. Vestiti autem dormiant, id est ad minus in una tunica et scapulari, et cincti, ut sint parati surgere dum signum sonaverit sine mora, videlicet ante finem signi, quod strictissine teneatur, quia monachis valde necessarium est et utile, et ut ibi dicitur: qui sompnolenti fuerint, excitentur per alios. Isti lecti sepissime visitentur per Abbatem, aut cui iusserit, iuxta capitulum LV ne peculium inveniatur: nec etiam sub clavi

quidquam aut quavis clausura presumat tenere, ut hoc vicium proprietatis penitus eradicetur. Sciatque Abbas quid dederit aut quid permiserit. Fratres etiam de hiis que permisit breve teneant de manu Abbatis signatam, ex quo clare ipse se poterit informare: que cedule tempore suo Abbati presentande, in duobus scilicet mensibus semel, vel prout mandaverit. Omnes autem monachorum communes officine, videlicet dormitorium etc. adeo ordinate sint cum tabulis et aliis clausuris portarum et fenestrarum et cunctis opportunis, quatinus ulla occasio iusti murmuris servo dei tribuatur, et omnis auferatur necessitatis occasio, iuxta finem eiusdem capituli. Nota quod sanctus Benedictus in predicto capitulo LV pro instrumentis lectorum utitur hiis nominibus, videlicet: matta, sagum, lena, capitale: que nomina Bernardus Venerabilis Cassinensis abbas sic esponit: Sagum, pro sacco stramen aut aliud huiusmodi continente: matta vero pro fystro, seu panno albo laneo grosso, qui non sit propter molliciem, sed propter frigoris repressionem de subtus ascendentem: lena, cooperimentum laneum frigoris repressivum: capitale vero quod capiti subponitur, sive sit lana impletum, sive alio huiusmodi.

DE SURGENDO AD MATUTINUM

CAPITULUM IV.

De hora matutinali magna diligentia adhibenda est, quia inde dependet totum officium divinum et etiam dispositio domus quo ad exercitia deputata. Et ideo in estate ut predicta ordinate et secundum regulam fiant iuvamus noctem per prolixitatem diei, et in hyeme brevitatem diei per prolixitatem noctis. Et ita cum ponat beatus

pater Benedictus capitulo VIII « hyemis tempore octava hora noctis surgendum est », et in x capitulo, « a Pascha usque ad Novembrem; » igitur secundum discretionem omnia fienda sunt, et temperari horilogium quod a calendis octubris usque ad quadragesimam, quando noctes sunt magne, ita surgant ad matutinum ut possint fieri bona intervalla, quia tempus id aptissimum et utilissimum est pro lectione et confessione. Et prima dicatur in aurora, ut si qua missa votiva est cantanda, possit fieri post capitulum, et misse private dici ante tertiam. Per totam autem quadragesimam surgatur ad matutinum quod laudes sint dicte antequam dies sit bene clara, et prima dicatur cum lumine diei quando incipit bene clarescere. Tercia autem sic temperetur quod nona post missam debita hora dicatur. Deinde transacta una hora, vel modicum plus, sonetur pro vesperis. A pascha autem usque ad kalendas Octubris sic surgatur ad matutinum quod laudes dicantur quando incipit diescere, scilicet in aurora, et prima de die, quando potest bene videri sine lumine lucerne; nisi occurrerit aliqua necessitas quod fieret cum lumine, secundum ordinationem presidentis; et tunc temporis missa de domina votiva, vel de mortuis, vel alia si qua est dicenda, dicitur ante capitulum. Et si in omnibus supradictis horis aliqua negligentia evenerit quod tardius surgatur, satisfaciat per cuius venerit neglectum, ut habetur capitulo undecimo patris nostri benedicti regule.

Ad matutinum primum signum fiat omni tempore transacta modicum media nocte, nisi forte in magnis festis cicius expediat, iuxta tenorem XLVIII capituli; fiatque primum signum per spacium duorum - *miserere* - infra quod, ut dictum est, sine mora se levent. Et fiat pausa inter primum et secundum signum, tanta in qua competenter septem psalmi penitentiales cum letaniis ex-

pleri possint. Infra quod tempus singuli fratres vel apud lectos aut in ecclesia sibi vacent, ut dictum est prius de tempore post completorium; et singulariter petant gratiam devocionis in divino officio sibi dari, ac tota die sequenti ab omni quod contra deum est custodiri, iuxta sententiam sancti benedicti in principio prologi, ubi ante omnia monet singula agenda debere orationibus preveniri; et in fine eiusdem, ubi monet deprecandum deum ut quod nobis natura negat, sua nobis dignetur gratia tribuere: parati sintque fratres ad secundum signum, iuxta capitulum XLVIII, quod signum fiat in tali mora, ut infra ipsum honeste, sine cursu scurrili, de dormitorio possit iri usque ad chorum, vel modice amplius, iuxta XXII capitulum; ita, completo pulsu, singuli sint in locis suis. Et dicatur trina oratio ad modum prius dictum post completorium, et facta reverentia profunda coram altari, singuli vadant ad loca sua. Incipiatque Abbas facere signum, postquam omnes fratres locati fuerint: quo signo facto, incipiat ebdomadarius matutinum de sancta Maria, si dicendum sit, submissa voce satis; ac demum subsequatur matutinum diei cantando vel legendo, prout exigit numerus fratrum et sufficientia personarum. Finito - *Salve regina* - post matutinum, iterum, modo et ordine quo supra, dicant trinam orationem, absque hoc quod non datur aqua benedicta nisi post completorium. Et deinde facta profunda reverentia coram altari, omnes pariter exeant modo predicto, videlicet post completorium, iuxta LII capitulum. Forma autem divini officii fiat secundum regulam ab octavo capitulo usque ad vicesimum inclusive, et cerimonie cetere tam in officio divino diurno sive nocturno ac missis, tam in feriis quam in festis maioribus vel minoribus, fiant secundum cerimonias ad hoc plene ordinatas: que quia maioris sunt continentie, hic abbrevia.

DE NON EXEUNDO DE OFFICIO

CAPITULUM V.

Divino officio incepto, nullus audeat deinde exire sine licentia, iuxta LXVII capitulum. Petens autem licentiam breviter suggerat causam Abbati vel eius locum tenenti, puta capitis dolorem, vel similia; excepto quod pro nature necessitate solum inclinando intelligatur licentiam accepisse. Nullus etiam se mutat de choro in alterum chorum ad cantandum vel legendum, sine missione presidentis vel senioris: cum voluntate enim abbatis omnia agenda sunt, iuxta capitulum XLIX et LXVII. Petenti autem licentiam in hiis vel aliis, videlicet ieiuniis, laboribus, assignatis causis, nisi evidenter appareat fallacia fratris petentis, misericorditer condescendendum est, iuxta capitulum XXII et LXIII de officio Abbatis.

QUOMODO SE DEBEANT HABERE IN OFFICIO

CAPITULUM VI.

In divino officio, quod omnibus aliis operibus preponendum est, iuxta Capitulum XLIII, fratres singulariter honestissime habere se debent, submissis semper oculis, iuxta XII. humilitatis gradum; stentque semper reverenter et attenti que dicunt, iuxta XIX et XX capitula. Tamen intra lectiones sedemus et intra epistolam in missa. Similiter in officio mortuorum, quindecim graduum in quadragesima, sicut habetur ex cerimoniis officii.

DE MODO PSALLENDI DIVINI OFFICII

CAPITULUM VII.

Tam in officio nocturno quam etiam de die, attendendum est ut psallatur bene, videlicet quod primo verba pleno ore cum perfecta sillabarum expressione, et etiam perfectis pausis ubicumque punctus est, proferantur. Perfecta pausa est que fit communi cursu anhelitum dimittendo et postea resumendo. Et quantum ad hanc rem optima est formula beati Bernardi, que partim expressa est super Cant. Canticor. et sequitur in hec verba: Admoneo vos fratres dilectissimi, pure ac strenue divinis interesse laudibus: strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistamus; non pigri, non sompnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non precidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quoddam barbarismum resonantes; sed virili, ut diximus, et sonitu et affectu voces sancti spiritus depromentes. Pure vero, ut nil aliud dum psallitur cogitetur: Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quisquis aliud quam debet, neglecto eo quod debet, obtulit. Psalmodiam non multum protrahamus, sed rotunda ac viva voce cantemus, medium et finem simul versus intonemus et simul dimittamus. Punctum nullus teneat, sed cito dimittat: post punctum bonam pausam faciamus. Nullus ante alium incipere, et nimis currere, aut post alios trahere presumat, vel punctum tenere: simul cantemus, simul pausemus, semper auscultando. Unde et beatus pater noster Benedictus pluries voluit in regula neminem legere aut cantare, nisi qui possit edificare audientes bene implendo officium ipsum, iuxta capitula regule

XLVII et XXXVIII. Congregatis itaque in ecclesiis monachis et Abbate cum subpriore vel vicario a dextris, priore autem a sinistris, ad omnes horas, ultima pulsatione finita, Abbas vel eius locum tenens, faciat signum cum manu percuciens formam, ut monachi prostrati, si sit ferialis dies, sin autem stando, dominicam dicant orationem. Qua finita, et signo surgendi ab ipso facto, signant se signo sancte crucis, ebdomadarius incipiat officium in sede sua et verso vultu contra altare, aliis monachis consimili modo stantibus usque ad - *Gloria patri* - et tunc vertunt se e regione. Eodem modo stetur a sacerdote ad capitula et orationes. Cum igitur spiritualia sint semper et ubique in omnibus preponenda, idcirco quando fratres sunt in ecclesia vel alibi ad divinum officium celebrandum, non sint ibi cum vagacione cordis, interponendo nociva, vel cogitando diversa, quia, ut ait Bernardus, magna abusio est os habere in choro et cor in foro: de quibus propheta ait: qui ore suo benedicebant et corde suo maledicebant. Et stent in locis suis sine superstitione, dicentes horas suas cum omni reverentia et tremore, sicut scriptura dicit: et timor (?) letificat cor, et dabit gaudium et leticiam. Et studeas ea intelligere que dicis, et semper ad totum officium sis erectus, tam in officio virginis quam in alio; quia, ut dicit sapiens, pro reverentia accedit tibi gratia. Excepto tamen quod in nocte, dicto matutino de virgine, in alio licet te appodiare, si volueris. Officium tamen virginis marie in duplicibus maioribus non obmittas, et quamdiu stas in officio non loquaris circumstantibus de aliquo ibidem; sed inclinato aliquantulum capite, oculis dimissis in terra, non diffusas manus habens ante te, aut in modum crucis, aut manum impositam in manu teneas, numquam ante pectus, vel in sinu, vel in loco inhonesto positas, aut

cubito capud appodiatum. Cogita te non solum coram fratribus, sed etiam coram deo et angelis eius stare, sicut propheta dicit: prevenerunt principes, idest angeli, coniuncti psallentibus. Et sis sollicitus ad librum, nec aliquando verecundia aut negligentia ductus, aliquod verbum pretermittas, et non dicas horas tuas solvendo prolationem vocis exterioris, sicut ypocrite et versipelles, de quibus conqueritur dominus per prophetam dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Cavendum etiam tibi summopere ne aliquid facias aut dicas ibidem quod alios provocet ad ridendum, quia secundum ysidorus dicit: nullus habebit accessum ad compunctionem, ubi fuerit vel modicus risus; sed iocundacio tua sit in ihesu, ut psallendo et meditando possis dicere cum propheta: Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Numquam sine licentia sedeas in officio divino, preterquam in officio mortuorum usque ad psalmum - *Laudate dominum de celis* - et in vesperis mortuorum ad - *Magnificat.* - In quadragesima ante matutinum ad quindecim gradus, exceptis omnibus - *Pater noster* - et versibus, et ad prophecias, et ad alia in missa ut supra dictum est de non appodiare se in choro; et ad lectiones in matutino, exceptis lectionibus in officio virginis, ad quas non sedemus. Cum autem ventum fuerit ad lectiones, lector petat benedictionem inclinato capite versus altare, et abbas sedens mediocri voce eam devote conferat, aliique sedeant. Ad benedictionem tamen Evangelii omnes stent, versis vultibus ad altare. Ad absolutionem vero, scilicet - *Exaudi domine* - et - *Ipsius pietas* - et - *A vinculis peccatorum* - stent omnes erecti, vultibus contra se e regione versis. Absolutio dicitur in tono orationum, ad tertiam in medio scilicet conducendo per fa - mi - re - fa - fa; et in fine terminando

in fa - re. Benedictiones vero lectionum in tono dicantur, videlicet in media pausa per la - sol - fa - la - la, et in fine terminando in - la - sol - sol - re. Qualiter autem singule lectiones et prophecie et alii cantus, vide in libro versiculario. De cantu etiam habes ibidem quomodo orationes per omnes horas intonentur. Si fuerit generale interdictum, fratres legant simpliciter et distincte officium sine nota.

DE INCLINATIONIBUS IN DIVINO OFFICIO.

DE PROFUNDIS INCLINATIONIBUS.

CAPITULUM VIII.

Inclinationes in divino officio profunde in tantum fiunt quod manus possunt tangere genua, primo quando sacra pertranseunt altaria, precipue ad altare maius tempore divini officii, et consequenter choro fratrum et Abbati simul, quod omni tempore servandum est, tam intrantibus quam exeuntibus tempore officii divini. Item profunde inclinetur ab omnibus ad - *Ave maria* - tempore officii de domina, sed Invitatorium prima vice tantum. Item ad omnia - *gloria patri* - et ultimos versus omnium ympnorum. Item ad omne - *pater noster* - et - *credo* - excepto quando genua flectantur, et preter - *credo* - misse, ubi flectitur tantum ad - *homo factus est.* - Item ad omnes primas orationes in missa conventuali et ad eam complendam. Item in quadragesima quando dicitur - *humiliate corda vestra deo* - et ad orationem que sequitur. Item quando sacerdos cantat in prefatione - *Gratias agamus.* - Item hospitibus venientibus. Item quandocumque cantores aliquid incipiunt

ante altare simul aut certe unus, tam veniendo ad altare illi se inclinent, quam recedendo ante altare et chorum, ut dictum est.

DE MEDIOCRIBUS INCLINATIONIBUS

CAPITULUM IX.

Mediocres inclinationes fiant abbati et priori, dehinc etiam aliis senioribus quando iuniores pertranseunt, aut ipsis habent loqui, aut ipsi requirendi fuerint: quod potest colligi ex capitulis XXXV et XLII, et specialiter LXIII, ubi etiam ponit: iuniores a suis senioribus ubicumque obviaverint sibi invicem, petent se benedici, dicendo plane - *benedicite* - et semper seniori transeunti assurgat iunior, nec nisi iussus audeat consedere. Item lector inclinet se quando dicit - *jube domine benedicere* - et - *Tu autem domine miserere nobis* - Item ad illa nomina - *Ihesus christus, maria, Suscipe deprecationem nostram.* - Item quando unus solus imponit antiphonam aut psalmum in loco suo vel ante pulpitum. Debere enim nos reverendos stare in divino officio ac reverenter omnia facere, patet ex capitulis XIX et XX. Idcirco quicumque fallitur in divino officio quamvis modice, statim tangat terram manu, aut osculetur formam in signum emende. Et si notabilior error fuerit, ita quod et alios errare faciat, tunc prosternet se in medio chori donec facit eum prior surgere.

DE NON APPODIARE IN OFFICIO

CAPITULUM X.

Quamvis in divino officio ex regula stare debeamus, ut predictum est ex capitulo XIX; tamen singulariter

debemus plene stare et sine appodiatione ad ea que secuntur: primo, quoties per se vel cum alio quis cantat vel imponit psalmum ante altare in medio, ut moris est, in maioribus festis a cantoribus, vel ad lectionem in matutino, epistolam in missa, vel cantat versum vel huiusmodi. Item plene stent fratres quandocumque legitur Evangelium. Item ad - *magnificat,*- ad -*benedictus,*- ad - *nunc dimittis.* - Et in trina oratione que fit ante altare. Item nullus unquam audeat sedere, nisi quando est solitum per alios fratres, scilicet infra epistolam, graduale, versum, - *alleluia,* - offertorium: non sedeant tamen qui ea cantant, sed alii si indigent petant licentiam. Ita tamen quod in fine omnium sedeant, et non dent aliis impedimentum. Item post officium nullus audeat ingredi chorum, sedendi vel dormiendi causa, quia contra rationem oratorii est, iuxta capitulum LII, propter accidentia que solent etiam nolentibus evenire in sompnis. Item stetur ad - *Te deum laudamus* - eodem modo sine appodiatione.

DE PLENA DISCOOPERITIONE CAPITIS

CAPITULUM XI.

Quia divinum officium, ut predictum est ex capitulo XIX, cum reverentia debet dici, et ad id etiam videtur discooperitio capitis pertinere, ideo sciendum quod caput plene discooperiendum est ab hiis qui ante medium altaris aliquid incipiunt, legunt vel imponunt. Item ad primam orationem in missa et eius complenda. Item ad lectionem evangelii. Item quandocumque aliquis frater abbati loquitur, vel petit aliquid ab eo, donec abbas iubeat superponi, propter dei reverentiam quam,

ipse Abbas representat: quidquid enim honoris et reverentie ipsi exhibetur, deo exhibetur, ut in multis locis regule beatus Benedictus dicit. Item in omni elevacione dominici *(sic)* communionis. Similiter ad mense benedictionem et gratiam, nisi infra psalmum - *Miserere* - quis velit superponere usque ad - *gloria patri.* - Item tam ebdomadarius quam alii fratres discooperiant plene ad omnia capitula, ad omnes orationes principales in officio, ad - *salve regina* - cum sua oratione post horas diei, excepto post completorium tempore frigoris quum cantatur; tunc usque ad - *misericordie* - tantum; ad residuum vero usque ad orationem medio modo sint discooperti. Item cantor et acolitus aut lector quando cantant versum, responsorium breve, vel legit lectionem. Item ad orationes post letanias plene. Ad septem psalmos vero et ad ipsas letanias medio modo sint discooperti. Item quando fratres intrant vel exeunt chorum. Item lector quando dicit - *Iube domine benedicere.* - Item ebdomadarius ad omnia que pronunciat ubicumque divini officii. Item ad omne - *pater noster* - et - *credo* - non cantatum, et ad - *homo factus est* - *credo* misse. Item tempore quo Sacerdos dicit missam, nisi forte ebdomadarius tempore epistole, gradualis, - *alleluia* - vel sequentie in missa convetuali velit stare coopertus.

DE MEDIA DISCOOPERITIONE CAPITIS

CAPITULUM XII.

Media discooperitio capitis quocienscumque cantor assignat alicui fratrum antiphonam imponendam. Item quando incipitur - *Ave maria* - quod dicitur ante officium de domina, semper fiat media discooperitio. Item

quocienscumque minor loquitur seniori, vel aliquid ab eo petit, vel requirit, donec superponi iubeat, iuxta LXIII et LXXII capitula, et XXVI clarius. Item quando incipitur - *deus in adiutorium* - usque ad - *Sicut erat*.

DE TEMPORE MEDIO INTER MATUTINUM ET PRIMAM

CAPITULUM XIII.

Inter matutinum et primam nullus se audeat collocare in lecto nec ordinate dormire sine licentia, quia vigilie sunt de maioribus regularibus, que expendi tunc debent in lectione, oratione, psalmis, aut meditatione, iuxta capitulum VIII regule. Et precipue tempore yemali debet fieri bonum intervallum post nocturnum et ante laudes, quando est feria; et tunc quilibet debet habere lucernam cum oleo, ut tempore suo possit vacare lectioni cum lumine: post completorium autem nullus audeat accendere pro lectione, nisi aliquis de necessitate indigeat vel aliquis officialis qui pro occupatione monasterii neglexit officium. Etiam isto tempore intervalli solent confiteri fratres suis confessoribus per abbatem singulariter deputatis. Qui eligantur discretiores atque doctores et bone vite, qui scilicet sciant animas lucrari atque discernere inter lepram et lepram, oleum pietatis cum vino compunctionis sollertissime ministrantes; quia nulla alia res saluti anime ita est necessaria atque propinqua, sicut materia confessionis. Ideo in hiis que ad ipsam pertinent summa et eximia est adhibenda sollicitudo. Abbas tamen secundum consuetudinem reservet sibi aliquos casus prout videtur expedire, et per certa tempora omnes abbati confiteantur. Patres enim antiqui, prout legitur in collacionibus quam (?) in vitis patrum, de

eo videlicet quod seniores cognoscant conscientias iuniorum fuere valde solliciti observare. Quod etiam beatus pater noster innuit in v. gradu humilitatis, et in capitulo XVI. (*lege* XLVI).

DE PRIMA, QUANDO ET QUOMODO AGATUR

CAPITULUM XIV.

A quadragesima usque ad kalendas octubris sonetur pro prima quando possit dici cum lumine diei et sine lucerna, et missa votiva, si qua est dicenda, cantatur ante capitulum. A kalendis autem octubris usque ad quadragesimam dicatur prima cum lumine lucerne, et misse votive, sicut sabbato de domina, vel die lune de mortuis, cantantur post capitulum, et missa de domina vel pro mortuis dicatur cottidie magis tempestive, propter illos qui exeunt; nisi aliqua necessitas intervenerit, vel prior aliter ordinaverit. Fiatque primum signum pro prima ad unum - *pater noster* - et intervallum in quo se fratres colligant pro attentione operis dei: secundum signum per tantum spacium fiat, ut dictum est supra de matutino, et facto signo a priore pro fine pulsus, dicant - *pater noster,* - quo completo, iterum prior faciat signum, ad quod cuncti se erigant; nec audeat ebdomadarius incipere ante signum per priorem factum: et sit generale pro omnibus horis, iuxta capitulum XX regule. Concludatur cum - *Salve regina* - et versu - *Ora pro nobis* - qui semper dicitur etiam in adventu; et facto signo a priore surgant et exeant ordinate. Ante signum omni tempore nullus audeat surgere vel exire.

DE CAPITULO COTTIDIANO QUOMODO ET QUANDO FIAT

CAPITULUM XV.

Capitulum cottidianum semper fit post primam, nisi quando ex accidenti dicitur missa votiva statim post primam, sicut tempore estatis: tunc capitulum fit post missam. In quadragesima vero in ferialibus diebus fit post tertiam: sed quando est festum, tunc dicta tertia dicitur missa de festo, postea fit capitulum. Post capitulum sonatur statim pro sexta, semel tantum: post sextam dicitur missa de feria. Post missam sonatur pro nona semel tantum. In dominicis vero diebus semper fit post primam: ideo finita prima statim sonet campanella ad duo - *Ave maria,* - ad quod signum omnes concurrunt ad locum sollitum capituli, sedeatque abbas vel prior, consequenter cuncti alii, et lector pronunctiet etatem lune atque diem mensis ac sanctorum pro crastina die natalicia, et in fine dicat - *Et aliorum plurimorum sanctorum martyrum et confessorum atque virginum* - Deinde surgentes, statim ebdomadarius incipit - *Preciosa in conspectu Domini* - ordine suo, cum lectione capituli atque psalmis pro mortuis, ut moris est. Dicto in fine - *Requiescant in pace* - et responso - *Amen* - omnes sedeant, lector incipiat in nota lectionum matutinarum legere unum capitulum regule quod competit: prior autem prout viderit expedire exponat vel latinaliter vel volgariter ea que fuerint dicenda circa materiam, sitque summe sollicitus circa fratres, ut intelligant pondus regule, et ut sciant que leviora, que graviora et que essentialia, ne contraria in ipsis inveniantur et ignorantia se excusent in peccatis, iuxta capitulum LX in fine.

Omnes enim professi ad summam correctionem morum secundum regulam tenentur, quam si quis ignoraverit, utique professioni satisfacere non poterit. Finita regule expositione, si aliqua corrigenda sunt corrigantur vel generaliter vel specialiter. Si igitur aliquis corrigendus fuerit specialiter, dicat Abbas: Tu frater N. dic tuam culpam. Ille autem frater cum summa humilitate et reverentia surgens, discooperto capite, proiiciat se pronus in terra, nil penitus dicens. Et prior dicat: quid dicis? Respondeat frater prostratus: meam culpam. Prior dicit: Surge. Tunc iussus surgat atque dicat culpam suam, si conscius est, cum humilitate ac compunctione quantum potest, nullo modo defendendo vel litigando, nec in magno, nec in parvo; et dicto eo in quo deliquit, iterum se prosternet in terram ut prius nil dicens, dicatque ei prior: Quid dicis? et ille: meam culpam; et prior: surge. Surgens autem stet inclinatus, nil dicens: tunc prior increpet eum cum omni caritate vel rigore secundum exigentiam persone et culpe, prout latissime pater noster beatissimus Benedictus in regula per multa docet capitula, propter quod hic supersedeo, videlicet a capitulo XXIII ad XXX, et XLII usque ad XLVI. Si autem frater conscius sibi non fuerit; dicat prior id quod scit de eo, dicens: tu fecisti hoc vel illud: et frater, audito priore, statim proiiciat se in terram, sicut dictum prius. Iussus autem surgere, surgat et si reus est dicat se culpabilem: sin autem dicat priori, vel abbati: benedicite, pater; et abbas: Deus. Et ille: placet vobis ut dicam unum verbum? et si permiserit abbas sibi loqui, loquatur cum summa humilitate; sin autem, non audeat quidquam dicere, sed sedeat in pace. Et strictissime teneatur iste modus de dicendis culpis; teneatur in omni loco etiam extra capitulum, ubicumque aliquis corrigitur, precipue si viderit animum senioris commotum, iuxta sententiam beati benedicti in capitulo

LXXI regule. Item omnes pene solite infligi fratribus pro culpis non multum gravibus sunt hec: prostratio in choro ad - *Salve regina* - in sexta pro defectibus in choro commissis, aut aliquis psalmus: vel manducare in terra sine vino, seu pane et aqua: vel percussio virgarum nudatis scapulis, cum psalmo - *miserere mei* - *pater noster* - *ave maria* - et oratione - *Deus cui proprium est.* - Cum talibus multum probandi sunt novicii.

DE CAPITULO DIE VENERIS

CAPITULUM XVI.

Quolibet die veneris, lecta regula, singuli dicant culpas suas, incipiente abbate, si non sint presentes. novicii aut conversi laici; qui si presentes sint, incipiant dicere culpas suas; postea, egressis eis, abbas dicat eo modo et forma ut predictum est; et dicant suas culpas generaliter, videlicet de transgressione sanctissime regule; de non exhibita reverentia et obedientia abbati et aliis prioribus, senioribus et fratribus; item de negligentiis et defectibus commissis circa divinum officium; de sancto silentio non custodito tempore et loco opportunis; de superfluitate in manducando, bibendo et vestiendo, etc.; de propria voluntate; de ammissione temporis et tempore male expenso; de omni malo exemplo et scandalo dato per conversationem suam. Item abbas, prior, cellerarius et alii qui habent continuata officia seu curas, dicant culpas suas de negligentia commissa circa ea. Pro penitentia detur cuilibet unus ex septem psalmis penitentialibus; et laicis et conversis septem - *Pater noster* - et totidem - *Ave maria,* - nisi forsan de aliquo singulari, ultra generalia, culpabilis repertus fuerit; et tunc fiat secundum capitulum regule allegatum.

DE CAPITULO DIE SABBATI

CAPITULUM XVII.

Quolibet die sabbati post lecturam regule legatur tabula ibidem per sacristanum preparata, que continet nomina officialium pro futura septimana, videlicet in hac forma: - *Officia conventus* - *Ebdomadarius:* nonnus Benedictus - *dyaconus:* nonnus Placidus - *Subdyaconus:* nonnus Maurus - *Accolitus primus:* frater Honoratus - *Accolitus secundus:* frater Simplicius - *Cantor primus:* frater Petrus - *Cantor secundus:* frater Iohannes - *Lector:* Andreas de ungaria - *Servitor:* frater Martinus de p. - *Cocus:* frater Iohannes de morano - *Lectio prima:* frater Paulus - *Lectio secunda:* frater Jacobus - *Lectio tertia:* nonnus Fridericus. *Si placet ordinare de domina missas, vel pro mortuis.* - Prefati autem fratres officiales per totam ebdomadam faciant sua officia specialiter, prout ex rubricis cerimoniarum patet: temporales autem quemadmodum descriptum est in regula.

DE EBDOMADARIO

CAPITULUM XVIII.

Ebdomadarius misse conventualis habet dicere missam conventualem per totam septimanam, et facere officium in choro, nisi venerit duplex maius quod pertinet ad priorem, vel cui ipse commiserit. Item omnes horas incipit in loco suo in choro ubi stat, preter in duplici maiori quando fit cum paratu et cantatur totum officium: tunc in utrisque vesperis, et in matutinis, et in laudibus dicit - *Deus in adiutorium,* - capitulum et ora-

tionem in medio chori ante altare; ad alias vero horas, scilicet primam, tertiam, sextam et nonam et completorium, etiam cantando, totum dicit in sede sua. Quando etiam cantatur a Canticis, incipit matutinum in sede sua. In dominica, in semiduplici et in duplicibus minoribus, quando non cantatur totum officium, tunc oratio in utrisque vesperis et ad laudes dicitur ante altare. Item cantor, ebdomadarius et accolitus, quando legitur officium, antiphonam, capitulum, versiculum et orationem pronunciant eque alte et uniformiter. Item quando ebdomadarius vel cantor in choro est absens, senior eiusdem chori, vel cui iniunctum fuerit, faciat officium. Item si due vel tres misse conventuales venerint in uno die, ut de festo, quatuor temporibus, et vigilia; de festo dicit presens ebdomadarius, de quatuor temporibus antecedens, de vigilia iterum anterior. Si vero due, secunda semper pertinet ad ebdomadarium precedentem: et si habent missas in tabula, committant aliis.

DE DYACONO ET SUBDYACONO

CAPITULUM XIX.

Dyaconus et subdyaconus in festis duplicibus maioribus pro missa maiori ordinantur a priore in capitulo, et serviunt ad missam secundum rubricam infrascriptam in duplicibus maioribus cum paratu.

DE ACCOLITO

CAPITULUM XX.

Accoliti duo ex tabula pro qualibet ebdomada ordinati; quorum primus dicit omnes versiculos, lectiones

de domina, de sancto Benedicto et de mortuis, in estate lectionem brevem cum suo ℟. Item omnia Responsoria brevia, et - *benedicamus,* - et servit cottidie ad missam conventualem legendo epistolam. Secundus accolitus in absentia primi, supplet vices in omnibus, et quando sunt plures misse conventuales, legit epistolam, et servit ad secundam missam, sicut in sabbato de domina et de mortuis: in duplicibus cantat versiculum cum primo accolito; item in festis duplicibus, semiduplicibus et dominica, in utrisque vesperis et laudibus, et per omnes octavas, sub - *magnificat* - et - *benedictus* - primus accolitus recipit orationale ante ebdomadarium cum reverentia et ponit supra legile ante gradus altaris pro oratione; et secundus accolitus levat librum et legile: in duplicibus vero levat primus accolitus.

DE CANTORIBUS

CAPITULUM XXI.

Cantores duo per ebdomadam ex tabula ordinati regunt chorum in cantu, quorum primus in choro ebdomadarii, secundus pro alio choro distribuunt reverenter antiphonas per singulos fratres, honore se invicem prevenientes, ut dicit beatus benedictus in capitulo LXIII. Cantor autem primus semper debet previdere totum officium, ne aliqua clavis mutetur vel custodia cantus, ita quod vacillando non vadat: et ipse cum ebdomadario debet previdere et discutere rubricas ante officium et extra chorum, ne in choro fiat aliquis error et musitatio, que posset astantes scandalizare. Cantor igitur primus in duplicibus maioribus, quando cantatur totum officium, invitat et facit reverentiam secundo cantori ad secum incipiendum: primo in utrisque vesperis post primum psalmum

ad antiphonam primam, responsorium longum et eius versum: in matutinis ad Invitatorium et ad primam antiphonam nocturni post primum psalmum, et ad primum responsorium: in laudibus iterum ad antiphonam primam post psalmum: in missa ad Introitum, ℣. Gradualis et ad Communionem: in dominica et semiduplici, in primis vesperis ad versum responsorii: in missa ad - *asperges*, - Introitum, ℣. Gradualis et communionem: et per octavas. In festo autem duplici maiori, quando cantatur totum officium, in vesperis et laudibus, cantor primus solus distribuat antiphonas non per choros hinc atque inde, sed per seniores ab Abbate vel priore incipiendo. In aliis autem festis ut dictum est distribuant ambo cantores per choros suos hinc et inde. Ad vesperas tamen et ad laudes in eisdem festis maioribus cantores non imponunt antiphonas, si fratres sint sufficientes: idem servatur de dyacono et subdyacono in prophetiis. Cantor autem quilibet in suo choro antiphonas post psalmos solus imponit usque ad locum in quo due virgule sunt in libro signate. Eodem modo fiat in missa, et ab omni incipiente quocumque choro, excepto quod in omnibus festis duplicibus tam in missa quam in matutinis ac vesperis et per omnes horas, antiphone, responsoria et versus simul incipiant et cantant duo: psalmos etiam in medio chori, scilicet in maioribus imponunt et cantica. Excepto quod in prima, tertia, sexta, nona ac completorio tantum primum psalmum similiter in medio chori dicunt: reliquos autem tantum unus in choro suo. In duplici minori antiphonas similiter ambo simul incipiunt, psalmos vero ac ympnos quilibet in suo choro et non in medio. In utrisque tamen duplicibus ambo cantores in medio chori cantant responsoria brevia et - *benedicamus*, - que in aliis festis solus accolitus cantat. Versiculos tamen in

omnibus duplicibus duo Accoliti cantant in medio chori, et in triduo ante pascha, et in officio mortuorum et in aliis tantum unus. In dominica item et in festo semiduplici tota missa duo cantores incipiunt versum etiam in vesperis, et versum Gradualis ambo cantant. Similiter et - *venite exultemus* - et versus in matutinis post responsoria etiam duo cantant, si cantaretur totum officium: omnia alia tantum unus cantor cantat accolitus, vel chorus. Et nota quod versus distribuuntur cantandi in matutinis isto modo: versum primi responsorii cantat Cantor principalis cum eo qui legit iam primam lectionem; que lectiones a iunioribus incipiende sunt, ita tamen quod abbas duodecimam lectionem. Deinde secundum versum cantant ambo hii qui legunt lectiones: tertium vero versum cantant secundus et tertius legens: quartum, tertius et quartus, et sic consequenter de aliis. Idem fiat de versibus gradualis quando leguntur prophetie. - *Alleluia* - distribuat cantor duobus senioribus vel subdyacono et dyacono, si sint apti et voluerint cantare; versus gradualis et - *alleluia* - omni tempore cantentur a duobus in medio chori: quando vero duo - *alleluia* - dicuntur, primum dicitur a choro totum cum suo versu sicut stat, incipiente tamen cantore, nec repetitur ante vel post versum; secundum vero cantatur eo modo sicut quando unum solum cantatur, videlicet sic: duo fratres incipiunt cantando usque ad pausam duabus virgulis designatam: deinde chorus hoc ipsum repetit addendo etiam totum neuma usque ad versum: dicto vero versu per duos seniores, ante finem apud duas virgulas, chorus iuvat ad finem: illi vero incipiunt - *alleluia* - usque ad easdem duas virgulas, deinde chorus neuma totum prosequitur, si non sit sequentia cantanda. Si vero sit, ea finita, dicitur - *alleluia* - cum reinceptione neumatis. Tractus et sequentia cantantur

alternatis versibus per choros. Nota tamen quod antiphona ad - *Magnificat* - et ad - *Benedictus* - semper debet distribui Abbati vel priori, aut eius locum tenenti, vel qui officiat cum paratu, abbate annuente.

DE LECTIONIBUS AD MATUTINUM

CAPITULUM XXII.

Lectiones pro matutinis ordinate ex tabula qui habent per totam septimanam, quando est officium duodecim lectionum et non cantatur, legant, directe et expresse ac uniformiter - *Iube* - et - *Tu autem*, - scilicet equaliter. Et cantor primus pronunciat Responsoria pro primo nocturno; qui legit lectiones in primo nocturno pronunciat Responsoria pro secundo nocturno; qui vero in secundo lectiones, dicit Responsoria pro tercio nocturno. Quando autem dicuntur tres lectiones non de Omelia, legit qui primam habet lectionem. Si vero de Omelia, dicit ille qui habet terciam lectionem. Si cantatur totum, leguntur lectiones secundum ordinem, ut supra dictum est in duplici. Simili modo fiat in officio mortuorum, quando dicuntur novem lectiones et legitur, dicant lectiones qui habent ex tabula, et cantor primus Invitatorium ante altare et Responsoria pro primo nocturno. Si vero cantatur totum officium pro mortuis, leguntur lectiones suo accentu a iunioribus incipiendo. Notandum etiam est quod lectiones de choro, quando legitur officium et lectio ad collacionem, et martyrologium in capitulo, leguntur eodem modo et uniformiter, scilicet directe sine accentu et distincte. Item lectiones, quando cantatur officium, et in refectorio ad mensam, et in capitulo regula, leguntur eodem modo.

Item lectiones mortuorum cantando et prophetie eodem accentu, ut habetur in versiculario: et prophetie a senioribus incipiuntur, scilicet Abbate vel priore. Item notandum quando officium legitur directe secundum regulam patris nostri, debet dici cum debitis punctis vel pausis distincte et aperte, cum quodam tractu, et non saltu, et quod sit differentia aliqua inter officium diei et domine: de domina basse et in gravibus, non nimis trahendo nec nimis currendo: officium de die altius et magis tractim, cum pausis bonis. Item officium mortuorum, sancti benedicti, et psalmi in capitulo magis rotunde. Quando vero cantatur totum officium in duplicibus maioribus, officium de domina dicitur in cella, ut magis sollempnius possit cantari officium; et tunc vespere cantantur solempniter et magis alte: nocturni vero basse, et in psalmis non nimis trahendo in fine, sed rotunde. - *Te deum laudamus* - ac laudes magis sollempnius, ut vespere, et secundum quod tempus dat.

DE LECTORE PER TOTAM SEPTIMANAM

CAPITULUM XXIII.

Lectoris officium est, iuxta XXXVIII capitulum: legere per totam mensam fratrum. Item legere in capitulo cottidiano ea que predicta sunt. Item ad collacionem. Qui lector, finita missa conventuali, in medio chori ante altare maius inclinatus, dicat trina vice versum - *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam,* - respondente choro qualibet vice; post primam autem vicem inclinatus revolvat se gyrando per chorum in signum petentis pro se orari ab omnibus. Post terciam vicem sua flectet genua in terra eodem loco.

Tunc ebdomadarius reversus ad cornu dexterum altaris, dicat in tono orationis ad terciam - *Salvum fac servum tuum.* - respondetur - *Deus meus sperantem in te.* - ℣. - *Mittat tibi dominus auxilium de sancto.* - ℟. - *Et de syon tueatur te.* - ℣. - *Dominus custodiat te ab omni malo.* - ℟. - *Custodiat animam tuam dominus.* - Oratio, sine - *Oremus* : - *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, et auferat a te spiritum elacionis. Qui vivit et regnat in secula seculorum.* - ℟. - *Amen.* - Deinde dicit evangelium - *In principio erat verbum.*

DE COCO PER TOTAM SEPTIMANAM

CAPITULUM XXIV.

Coci officium est coquere fercula fratrum et cetera que ad hoc requiruntur. Sed si forte clerici fratres ad hoc apti non fuerint, coquet aliquis conversorum adeo compositus, ut nullum scandalum ex ipso eveniat circa ea que ministranda sunt fratribus. Ita tamen ut propter meritum sancte obedientie secundum ordinem omnes faciant officium coquine, lavando scultellas atque pinnatas et alia vasa per totam septimanam; et etiam portat aquam et ligna, et cetera huiusmodi humilitatis opera cum omni faciat fervore; quia de hiis, ut sanctus benedictus dicit in capitulo xxxv, maior merces acquiritur. Cetera autem ad officium suum pertinentia scripta sunt in capitulo preallegato. Coci autem, tam intrans quam exiens, sollitas benedictiones accipiant post matutinas dominice, isto modo: primo exiens cocus dicto - *Benedicamus* - et responso - *Deo gratias,* - accedat in medium chori, et tribus vicibus pronunciet versum - *Benedictus es domine deus, qui adiuvasti me, et conso-*

latus es me, - eodem modo quo de lectore *(dictum)* est girat etc. Ebdomadarius vero dicit hos versus : - *Salvum fac servum tuum,* - ℟. - *Deus meus sperantem in te.* - ℣. - *Convertere domine aliquantulum,* - ℟. - *Et deprecare super servum tuum.* - ℣. - *Dominus vobiscum,* - ℟. - *Et cum spiritu tuo.* - *Oremus. Concede quesumus omnipotens deus ut huic famulo tuo pro expleto officio merces tribuatur eterna: per christum dominum nostrum. Amen.* Postea surgens abeat in locum suum. Et statim coquus intrans accedat dicens, more lectoris, similiter hunc versum tribus vicibus - *deus in adiutorium meum intende; domine ad adiuvandum me festina.* - Responso ut supra, Ebdomadarius dicat - *Salvum fac etc.* - ℣. -*Mitte ei domine auxilium de sancto.* - ℟. - *Et de syon tuere eum.* ℣. - *Dominus vobiscum, etc. Oremus. Concede quesumus omnipotens deus ut hic famulus tuus susceptum officium mente devota perficiat. Per christum dominum etc.*

DE SERVITORE PER SEPTIMANAM

CAPITULUM XXV.

Servitoris autem officium est preparare mensas et cetera que ad hoc pertinent, scilicet portare fercula et levare, scopare mensam in fine, deponendo scilicet micas cum scopula ad hoc ordinata, et colligendo eas ad aliquod canistrum: non tamen audeat unquam levare panem, nisi omnes a comestione cessaverint, vel prior signum fecerit. In fine postquam levaverit, in medio refectorii, submissis manibus, inclinando se reverenter ante Crucifixum primo reverentiam faciat, dein omnibus fratribus, et sonato modicum uno vel duobus tractibus, lector dicat - *Tu autem domine;* - fratres dicto - *Deo gra-*

tias - surgant et ordinatis cunctis, incipiat prior versum qui competit, et ebdomadarius versum - *Agimus tibi gratias*, - vel - *Benedictus deus in donis suis etc.* post prandium. Vadant postea bini et bini ad chorum more monastico cum psalmo - *miserere,* - vel alio qui competit, et versibus, sicut habetur in orationali. Notandum quod quando servitor est absens ex causa, precedens debet facere officium: si autem infirmatur ante feriam tertiam, vel est impeditus, ponatur alius in tabula; et ita de aliis officialibus.

DE CERIMONIIS IN OFFICIO DIVINO

CAPITULUM XXVI.

In festis duplicibus maioribus, ad vesperas tam primas et secundas et ad matutinum, sonantur omnes campane tribus vicibus: prima vice prolixe: secunda modicum: tercia vice usque ad signum prioris. Ad - *te deum laudamus* - omnes campane usque ad versum - *pleni sunt celi.* - Ad primam sonetur campana magna breviter; secundo una de minoribus. Ad terciam omnes campane; primo breviter, secundo prolixius. Ad missam omnes usque ad - *gloria patri* - Introitus. Ad sextam parva campana et breviter semel, scilicet post missam; et idem modus ad sextam tenetur in omnibus festis. Ad nonam bis cum parva campana, primo breviter, secundo prolixius: idem tenetur etiam in omnibus festis excepta quadragesima. Ad collacionem, post primas vesperas magna campana, post secundas vesperas parva campanella, nisi in crastinum etiam sit festum duplex maius.

In utrisque vesperis facto secundo signo omnes fratres conveniant in sacristia et dicant simul officium domine: interim vestiat se sacerdos et ministri sicut consuetum est, sacerdos amicto, cotta et pluviali; cantores et accoliti cottis. Finitis vesperis de domina, hoc modo procedant ad chorum: primo precedant cantores, deinde ceroferarii, tercio thuribularius dextera manu thuribulum et sinistra portans incensum: ultimo sacerdos coram altari procedens; et stans in medio accolitorum ponat incensum in thuribulo, quo accepto de manu ministri, genuflectat coram altari et adoleat altare maius tantum, isto modo: primo in medio incipiendo bis vel ter versus crucifixum; deinde leviter ducendo versus cornu sinistrum revertendo ad dexterum, et iterum revertendo ad medium, et ibi incenset iterum modicum, et osculato altari tradat thuribulum ministro non thurificando istum. Et descendens ad ultimum gradum inclinatus dicat -*pater noster,*- et in eodem loco facto signo crucis post - *pater noster,* - officium solito more inchoetur. Finito vero - *Gloria patri,*- sacerdos ad locum suum vadit: accoliti etiam, depositis luminaribus et extinctis, ad chorum in locum suum unusquisque vadat: Cantores vero omnia que pertinent ad officium suum faciant tam cum querendo, simul incipiendo, et antiphonas distribuendo, ut dictum est superius: psalmos tamen non intonant nec antiphonas incipiunt nisi bini et bini. Ad -*magnificat*- et ad - *benedictus* - iterum thurificatur maius altare modo predicto, nisi quod sacerdos non ante gradus altaris, sed post in stallo suo incensetur. Item incensatio incipiatur in choro ex parte maioris, scilicet abbatis vel prioris, et una vice tantum adoleatur quilibet frater; abbas vel prior bis. Et fit tantum ad -*magnificat*- et ad -*benedictus*- incensatio chori, et in missa ad offer-

torium. Ad matutinum, quando cantatur totum officium, cantores induuntur cottis ante trinam orationem, ad invitatorium. Et ante ultimam lectionem sacrista portat pluviale et cottam et amictum pro sacerdote, et ponit super altare ante sacerdotem, et duas cottas pro duobus accolitis, et duo candelabra cum cereis, et thuribulum et incensum. Et accoliti induunt se, et ad evangelium et orationem incendunt cereos. Quando vero est duplex maius et incipitur cantare a Canticis, tunc Cantor dicit Invitatorium sine cotta: ad Cantica induunt se tamen; sacerdos vero et accoliti ut supra dictum est, etc. Dicta vero oratione in laudibus, sacerdos recedat statim ad partem cum ministris exuens se: interim cantores dicunt - *Benedicamus domino.* - Qui dum chorus dicit - *Deo gratias* - similiter exuent se, euntes singuli ad loca sua. Ad vesperas vero, dicta oratione, non recedunt, sed omnia ibidem complentur cum - *Salve regina* - et oratione finali, que semper a maiore dicitur: qua completa, revertuntur ad sacristiam eo ordine quo venerant. Et notandum quod in omnium horarum fine dicatur - *fidelium anime* - cum oratione dominica; excepto quod in terciis quando sequitur missa, dicto - *Benedicamus* - et - *Deo gratias* - statim incipitur missa. In quadragesima tamen quando missa dicitur post sextam similiter non dicitur - *fidelium* - neque ad terciam, etiam si statim missa sequitur: finita autem oratione dominica, si inclinando est dicta, fiat signum ab abbate, et genuflectentibus fratribus omnibus, Abbas dicat - *dominus dat nobis suam pacem.* - Et omnes respondeant - *Amen*; - deinde sequatur - *Salve regina,* - quod semper a maiore incipiatur, sive legatur sive cantetur. Similiter genuflexio et erectio a maiore incipiatur, nisi forsan esset alienatus: tunc ab alio seniore fiat. Ad completorium tamen fiat in fine, ut in principio libri dictum est. In

triduo ante pascha etiam non servatur idem modus horas concludendi, sed prout supra dictum est in breviario continetur.

Ad Terciam; facto primo signo conveniant omnes ad dicendum terciam de domina in sacristia, qua finita sacerdos et cantores induti ut supra, dyaconus et subdyaconus tunicellis, accoliti vero superpelliciati hoc modo intrent chorum nihil omnino manibus gestantes, sed eis reverenter sub manicis plicatis: primo cantores precedunt, quum secundum incipitur; secundo duo accoliti, tercio thuribularius solus, quarto loco subdyaconus, quinto dyaconus, ultimo sacerdos: qui sacerdos, si non abbas vel prior, vadit ad chorum currentis ebdomadarii, et stet statim post abbatem vel priorem: alii vadant ad loca sua. Finito autem pulsu, et dicto - *Pater noster,* - factoque signo per abbatem, sacerdos incipiat versum - *Deus in adiutorium meum intende,* - ad quem versum usque ad - *Gloria patri* - omnes fratres omni tempore stent conversi versus altare. Si vero abbas vel prior fuerit, vadit ad locum suum; alias, ut supra. Dicta ergo oratione a sacerdote in terciis, tres accoliti vadant ad sacristiam, et incensis luminaribus ac incenso aptato, post - *Deo gratias* - exeat sacerdos cum dyacono et subdyacono suo ordine ad sacristiam.

Interim pulsetur ad missam, et cantores incipiunt missam. Sacerdos vero exutus pluviali induetur planeta: deinde procedunt ad altare. Primo duo ceroferarii, ut supra dictum est in vesperis; deinde thuribularius, post quem vadit subdyaconus ferens sibi librum clausum ante pectus utraque manu; deinde dyaconus utraque manu calicem portans: ultimo sacerdos plicatis in directum ante se manibus reverenter, et facta reverencia ante altare, dispositis quoque thuribulario, dyacono et uno ceriferario ad dexteram, subdyacono vero et reliquo

ceroferario ad sinistram, fiat confessio: qua facta, incensetur altare modo predicto in vesperis, cereis prius extinctis, quos non resumunt usque ad evangelium. Lecto autem post incensationem Introito a Sacerdote et ministris, idest dyacono et subdyacono, disponantur omnes ministri in modum crucis, idest duo accoliti eque distantes ad levam et dexteram dyaconi, qui dyaconus, nisi aliquid fuerit agendum, semper stet ex directo post dorsum sacerdotis. Et post hunc eadem linea subdyaconus, post quem simili modo thuribularius. Si tamen minor fuerit congregatio, possunt ministri iuvare chorum in cantando, sic tamen quod servicia altaris non negligant. Accoliti vero sint solliciti accendere candelas in altari et purgare accensas, et caute custodire tobalias altaris ne ledantur a scintillis candelarum, et sonare campanas, et accendere lampades, et ad alia que sunt necessaria. Et notandum quod preter candelas, quas portant accoliti in festo duplici maiori ad vesperas, ad matutinum et ad missam et completorium, ponuntur candele secundum quod consuetum est et scriptum est in ordinario sacristie. In dominica et in aliis festis simplicibus tantum ad missam ponuntur due candele. In semiduplicibus ad vesperas, missam et laudes et post completorium ad - *salve regina* - ponuntur due candele. In duplici minori ad vesperas et matutinum, et ad - *salve regina* - due candele. Ad completorium numquam accenduntur nisi in duplici maiori ad - *salve regina*, - *alma redemptoris*, - et - *regina celi*, - quando non est festum duplex accenditur cereus qui remansit de pascha. Ad primam, terciam, sextam et nonam numquam ponitur candela. In triduo ante pascha et officio mortuorum quando cantatur ponuntur ad matutinum due candele.

Dispositis itaque ministris ut dictum est, quilibet suum officium attendat exercere cum reverentia et timore: dyaconus et subdyaconus omnia que chorus cantat, legant communiter cum sacerdote, ita quod usque ad evangelium dyaconus assistat a dextris et subdyaconus a sinistris. E contrario fit post evangelium. Et notandum quod epistola et evangelium si sint ambones ad hoc facti legantur in eis, scilicet epistola in ambone dextero, evangelium in sinistro. Si vero non sint, tunc epistola legatur in gradu inferiori contra medium altaris aut super pulpito posito iuxta cornu altaris sinistrum. Et notandum quod dum epistola legitur a subdyacono, dyaconus reverenter ascendens altare expandat corporale super altare, quod postea complicare debet in fine misse dum sacerdos manus et calicem purificat. Explicato itaque corporali, vadant sacerdos et dyaconus sedere super bancum, ibidem apud cornu dexterum altaris paratum et ad hoc ordinatum, et extensa tobalia pulcra super genua eorum, acceptoque libro missali, ibidem legant Epistolam, Graduale, - *Alleluia*, - Sequentiam aut Tractum. Finita Epistola, etiam cum eis se locet Subdyaconus. Accolitus vero primus accepto pulpito cum libro post finitam epistolam portat in locum ubi Evangelium debet dici, nisi forte non in pulpito, sed in ambone aut altari legendum sit: tunc portet ad locum suum modicum ante finem - *Alleluia* - Sequentie, aut Tractus. Aptato prius calice, vinoque infuso, et corporali a dyacono, sacerdos ascendat ad cornu altaris dexterum. Interim accensis candelis ab accolitis, aptato etiam incenso, dyaconus accepto libro et genuflexo in cornu sinistro altaris, petat benedictionem dicens - *Iube domine benedicere,* - sine nota; qua accepta, manu presbiteri osculata et altari, surgat ad legendum. Et si quidem in Ambone legendum est, precedant cerofe-

rarii; postea thuribularius, deinde subdyaconus portans sibi librum, ultimo dyaconus; et incensato libro, thuribularius cum ceroferariis revertitur ad chorum stans in medio ipsorum versus evangelium incensando continue usque ad finem evangelii: tunc simul revertuntur ad reducendum eos ad altare: subdyaconus vero infra evangelium cum dyacono manet, et in fine recipit librum. Si autem apud altare legendum est evangelium, accepta benedictione, duo accoliti resumptis cereis stent ad levam et dexteram subdyaconi, versis vultibus ad evangelium: qui subdyaconus stet ante dyaconum, thuribularius vero post eum stet longius, continue incensando versus evangelium. Finito autem evangelio, subdyaconus recipit librum, tradendo eum sacerdoti ad deosculandum, deinde dyacono; postea sacerdos incipit - *Credo*, - si est dicendum. Et quandocunque sacerdos vertit se ad populum, tunc dyaconus genuflectat ante ipsum aptando planetam, si necesse fuerit. Dicto vero offertorio a sacerdote et ministris, tunc chorus adhuc cantat offertorium; fiat oblacio calicis, hoc modo: dyaconus accipiat patenam et offerat sacerdoti osculando sibi manum. Et generaliter quandocumque sacerdos dat vel recipit aliquid, ministri osculentur sibi manum, preterquam in osculo pacis. Subdyaconus vero stans retro in medio amborum accipiat ab accolito ampullam primo a dextris ejus stante, quam ampullam accipiat sacerdos de manu subdyaconi effundendo aquam in calice, dicendo orationem - *Deus qui humane;* - quem calicem dyaconus interim in manibus teneat; dicta vero oratione, dyaconus ponat calicem in locum suum, cooperiendo ipsum cum custode. Interim thuribularius, parato thuribulo, tradat illud subdyacono: dyaconus vero incensum cum cochleari accipiat, vel a thuribulario vel a secundo accolito, et benedictum a sacerdote

dicente: -*Per intercessionem beati Michælis, etc.* - ponat in thuribulum, et accepto thuribulo a subdyacono, tradat sacerdoti.

Sacerdos autem adoleat oblacionem et altare, isto modo: primo, videlicet, extensa manu versus crucifixum signat super oblacionem tres cruces, dicendo orationem - *Incensum istud, etc.,* - deinde girando ter oblacionem, idest ducendo thuribulum circum circa versus dexterum cornu altaris, dicat - *Et descendat super nos, etc.* - Postea dicendo hos versus: - *Dirigatur domine oratio, etc*; transeat incensando super altare, usque ad dexterum cornu, redeundo ad sinistrum et circumducendo in latere altaris, revertatur ad medium, et leniter bis vel ter oblacione incensata, vadat ad cornu dexterum altaris, prius osculato altari *(in)* medio, tradat thuribulum dyacono genu flectenti ad ipsum cornu, non incensando tamen: dyaconus vero aptata planeta manu sinistra, incenset sacerdotem manu dextera bis versus pectus et semel subtus planetam. Interim sacerdos dicat: - *Accendat in nobis, etc.* - Dyaconus vero reddat thuribulum accolito primo; accolitus autem, incensatis primo dyacono et subdyacono, thurificet chorum incipiendo a seniore, quomodo supra dictum est. Et dum sacerdos incensatur, subdyaconus acceptam ab accolito ampullam aque, fundat super manus sacerdotis, et tersis digitis procedat in missa. Post hoc dyaconus a sinistris vadat, et sit diligens querere orationes, volvere chartas, usque post communionem, aliis stantibus in locis suis ordinate. Dicta vero prefacione et - *Sanctus*, - dyaconus tradat patenam subdyacono stanti in loco suo ante medium altaris: accolitus vero accepta mundissima tobalia de zeta super humeros ponat, antrorsumque dependeat, et patenam dextera subdyaconi elevatam cooperiat. In elevacione corporis, antea parato a thuribulario incenso

et accepto ab accolito thuribulo iuxta se flectente, incenset corpus christi elevatum cum dextera manu, sinistra vero levet planetam; et facta elevacione corporis christi, surgat dyaconus et reverenter deponat custodem de calice, et reflexus iterum ponat incensum, accolito interim thuribulo retinente, et accepto thuribulo dum calix cum sanguine christi elevatur incenset ut ante; et hoc totum fiat ex parte dextera sacerdotis. Subdyaconus tempore elevacionis tenendo patenam flectit in loco suo post sacerdotem, sinistra manu levans planetam in elevacione: sed post elevacionen statim surgens stat ut prius aliis fratribus flectentibus: dyaconus vero reverenter ad cornu sinistrum, cooperto prius calice, et servit ad librum. Et *(cum)* perventum fuerit ad - *Pater noster,* - accedat dyaconus et discooperiat patenam: completa autem dominica oratione, subdyaconus accedens tradat patenam dyacono, et dyaconus sacerdoti: duo vero accoliti complicant tobaliam acceptam de humeris subdiaconi, et ponatur super altare in sinistro cornu: dyaconus autem discooperiat semper calicem dum sanguis corpore christi signatur, et post hoc cooperiat.

Osculum autem pacis hoc modo detur: deosculato altari a sacerdote, statim dyaconus offerat sibi crucem vel yconam deosculandam; qua osculata, dicat sacerdos - *pax tecum.* - Et ipse respondeat - *et cum spiritu tuo.* - Dyaconus deosculata cruce vel ycona, tradat subdyacono, qui accepta sibi pace, tradat accolito: qui accolitus immediate, non accepta pace, portet ad priorem. Deinde portet maiori in choro, et uno choro finito, portet ad alium secundum ordinem. Deinde portet cantoribus, si stant ad pulpitum, vel alibi extra chorum. Deinde det thuribulario, post hoc recipiat ipse et tradat accolito suo. Numquam tamen osculum pacis porrigatur

nisi finito - *Agnus dei* - et cantato - *dona nobis pacem.* - Communione percepta, dyaconus ut supra dictum est, plicet corporale, et a sinistris stando similiter et calicem involvat, et librum portet ad dexterum; nullo modo tamen negligat, quando sacerdos vertit se ad - *dominus vobiscum,* - ante ipsum genuflectat parando etiam planetam si sit necesse. Accolitus autem alia suppleat, videlicet ponendo corporale super calicem involutum et tobaliam quam tenebat subdyaconus super patenam. Subdyaconus autem fundat vinum et aquam pro ablucione calicis et manuum. Quibus omnibus devote peractis et sine magno strepitu atque discursu, prout fieri poterit, ordinatisque omnibus ministris ut supra in locis suis: dum cantatur - *Ite missa est* - tam sacerdos quam dyaconus stent versi ad populum, quod semper, dum adest, a dyacono cantandum est. Quo finito vertant se ad altare: nullo alio tempore vertit se dyaconus cum sacerdote in missa. Interim quum dicitur - *Deo gratias* - cantando, parent se omnes ministri, ut eo ordine quo venerant sacristiam ingrediantur, cum luminaribus, thuribulo, libro et calice, manibusque sacerdotis plicatis, ac reverentia multa. Ecce hee sunt cerimonie in vesperis, laudibus, tercia, missaque festi duplicis maioris, in quolibet conventu: hiis saltem duplicibus maioribus festis convenit observare.

DE FESTIS QUE PERTINENT AD PRIOREM.

CAPITULUM XXVII.

In omnibus festis duplicibus majoribus quando fit cum cappa et paratu, officium pertinet ad abbatem, vel priorem, aut ejus locum tenentem : precipue tamen in

principalioribus ipse debet facere officium. In aliis minoribus potest committere ebdomadario vel uni seniori. Similiter pertinet ad eum feria quarta cinerum et dominica palmarum, in cena domini, feria sexta parasceven, sabbato sancto, vigilia Penthecosten, in commemoratione omnium fidelium defunctorum, et omnes benedictiones dat ipse. Item pro qualibet hora officii dicit - *Dominus det nobis suam pacem,* - et incipit antiphonam ad - *magnificat* - et ad - *benedictus* - et antiphonam finalem - *Salve regina* - vel - *Alma redemptoris* - post completorium, et dicit orationem ad eamdem antiphonam. Item incipit - *Te Deum laudamus,* - legit evangelium post - *Te Deum laudamus,* - et - *Te decet laus* - cum oratione. Et in vesperis et laudibus dicit - *Pater noster* - alta voce. Item in nativitate domini prima missa, videlicet in nocte, pertinet ad vicarium, secunda ad seniorem post vicarium: in terciis ad priorem, si Abbas non est presens. Similiter in pascha et penthecoste. In die festo principali prior, in secundo die vicarius, tertio die senior. Item in omni festo duplici maiori debet cantari totum officium vel a Canticis: et hoc secundum discrecionem et discussionem prioris cum fratribus, videlicet habendo respectum ad personas, si sint sufficientes ad cantandum, et ad cantum, quia alique historie nove sunt difficiles et graves ad cantandum: item ad tempus et ad alia que occurrunt, scilicet vindemie etc. Item communis consuetudo est omnibus aliis temporibus et festis, scilicet duplicibus minoribus, semiduplicibus, dominicis, simplicibus ac ferialibus, cantare vesperas, completorium et laudes, terciam et missam: alias vero horas legere directe cum officio beate virginis, et de sancto benedicto quum competit, et de mortuis secundum suas rubricas. Item in vigilia nativitatis domini, matutinum totum;

aliud vero totum legitur. Et in commemoratione animarum etiam laudes leguntur propter vigilias que tunc cantantur in nocte. Item excipiuntur alique festivitates cappellarum, altarium, in quibus fit secundum rubricas speciales, nisi aliquod impedimentum veniat, vel nimis tarde surgatur ; quod tamen debet caveri quantum potest.

DE FESTIS MINORIBUS DUPLICIBUS

CAPITULUM XXVIII.

In festis vero duplicibus minoribus ad utrasque vesperas et matutinum, similiter tribus vicibus pulsetur; pro primo signo maiori tantum campana; pro secundo signo minores due; pro tercio iterum maior. Ad - *te deum laudamus* - sonetur maior tantum. Ad primam et terciam, primo maior, ad terciam secundo due parve. Ad missam, Sanctus et ad elevacionem maior tantum. Ad alias horas ut dictum est supra. Et in omnibus duplicibus minoribus dicitur officium beate virginis etiam si cantaretur a Canticis, et antiphone ad vesperas et ad totum matutinum duplicantur; et duo cantores simul incipiunt ℟. longum cum suo ℣, et brevia ℟. et - *benedicamus.* - Duo accoliti cantant versiculos; non fiunt commemorationes consuete de Apostolis etc., nec officium sancti Benedicti, et ponuntur due candele ad utrasque vesperas, et ad - *salve regina* - et ad totum matutinum. Ad missam duo accoliti. Incensum post offertorium. Sequentia etiam cantatur, si habetur, et cum licentia prioris.

DE FESTIS SEMIDUPLICIBUS ET DOMINICA.

CAPITULUM XXIX.

In festis semiduplicibus et in dominica ad vesperas, matutinum, primam, terciam sonetur tantum bis, primo cum magna, secundo cum parvis. Ad missam - *sanctus* - et ad elevacionem, maior sonetur. In festis semiduplicibus etc. totum officium fit ut in duplicibus minoribus, excepto quod antiphone non duplicantur, et quilibet cantor solus incipit antiphonas et ℟. ad vesperas: versum ambo simul: accolitus solus versiculos in loco suo, et ℟. brevia et - *Benedicamus;* - fiunt commemorationes consuete, scilicet de Apostolis, etc. Officium de sancto benedicto dicitur, de mortuis non dicitur. Ad missam duo cantores et duo accoliti; et datur incensum post offertorium. Ad vesperas, ad - *salve regina* - post completorium, et ad laudes due candele. Similiter fit ad missam infra octavas, excepto quod non incensatur ad missam et non ponuntur candele; in octava vero die fit totum sicut in semiduplici. Infra octavas sonatur sicut in simplicibus: commemorationes consuete, scilicet de Apostolis etc., et officium sancti benedicti non dicuntur infra octavas. Infra octavam vero sancti benedicti sonatur magna campana ad missam, et incensatur ad missam.

DE FESTIS SIMPLICIBUS ET DE FERIIS POST PASCHA ET DE FESTIS COMMEMORATIONUM

CAPITULUM XXX.

In festis simplicibus et in feriis paschalibus usque ad octavam penthecostes sonetur eodem modo ad omnes

horas, videlicet ad matutinum et ad vesperas, primo maior, secundo due parve. Ad - *te deum laudamus* - due parve. Ad primam, primo una parva modicum, secundo una prolixius. Ad terciam, primo una parva, secundo ambe parve. Ad missam, due parve: ad - *Sanctus* - maior; ad elevacionem una parva. Ad missam unus accolitus et unus cantor solus, et omnia alia sicut in dominica. Item sunt alie misse commemorationum que cantantur conventualiter in terciis feriatis diebus cum uno accolito, et sonatur sicut in simplicibus: videlicet, die lune de sancta Scolastica; die martis de angelis; die mercurii de sancto benedicto; die jovis de sancto spiritu: sonatur magna campana: duo accoliti et duo cantores. Simili modo fit sabbato de sancta maria virgine cum campana magna, et duobus accolitis et cantoribus. Die veneris de sancta cruce, ut in simplicibus. Item ad missas mortuorum non conventuales, sonantur due parve tribus vicibus, ad - *Sanctus* - et elevacionem una tantum. In die vero commemorationis animarum tam ad missam, que est tunc conventualis, quam ad vesperas, quam etiam ad vigilias mortuorum in nocte, sonatur campana maior tribus vicibus. Item fiat quando alio tempore cantaretur pro fratre aliquo mortuo, et quando corpus est presens. Et omni die de sero et de mane sonatur magna campana tribus vicibus pro - *Ave maria,* - scilicet in crepusculo et in aurora.

DE OFFICIO FERIALI

CAPITULUM XXXI.

In ferialibus diebus ad matutinum et ad vesperas sonatur maior campana una vice; ad omnes vero alias horas pro primo et secundo signo una tantum de parvis; et pro prima et nona secundum signum fit semper

eodem modo, scilicet cum una parva campana. Ad missam simili modo una parva campana, et ad elevacionem, ad prefacionem, vel ad - *Sanctus,* - ad omnem missam conventualem sive legitur sive cantatur, semper sonatur maior campana per spacium unius - *Ave maria.* - Ad missam unus accolitus et unus cantor: alia omnia sicut in festo simplici. Simili modo fit in missa de vigilia. Et dum dicitur prima oratio ab omnibus debet genuflecti usque - *per dominum.* - Idem fiat in officio beate marie, et quandocumque dicitur - *pater noster,* - sive in principio horarum sive in fine, excepto - *pater noster* - ante lectiones et in benedictione mense et ante gratias agendas: post gratias tamen in fine in ecclesia flectant fratres genua. Similiter in commemorationibus, scilicet de santa cruce etc., et quando dicitur - *credo* - in prima et in completorio, et in precibus, sicut in breviario continetur. Sacerdos tamen si dicat eas cantando stet erectus: quando vero leguntur sine tono flectat etiam genua. Similiter in missa flectent genua cum dicitur prima oratio: quando autem dicitur una prophetia vel plures, ad illas orationes non flectent se, nisi ad illam ad quam dicitur - *dominus vobiscum.* - - *Oremus* - in tono orationis sequentis, si in tono dicitur; alias simpliciter legitur: excepto si plures orationes sub una clausula dicantur; tunc ad primam orationem tantum premittitur - *Oremus,* - preterquam in die parasceves, ubi due orationes semper sub una clausula leguntur, et secunde tantum premittitur - *Oremus.* - Illa tamen ante - *Flectamus genua* - dicitur in tono feriali prefacionis; sequens vero dicitur in tono orationis ad vesperas. Orationes vero que dicuntur ad benedicendum candelas, cineres, et palmas dicuntur in tono orationis ad terciam. Excepto etiam quod ante orationem - *retribuere dignare,* - que post mensam dicitur, non premitti-

mus - *Oremus.* - Semper autem sive sit festum sive non, inter offertorium et - *orate fratres* - monachi stent erecti, versis vultibus ad altare. In feria autem cum dicit sacerdos -- *Orate,* - flectant genua fratres, et tunc surgant cum dixerit - *per omnia secula* - ad prefacionem. Item cantato - *Sanctus,* - flectent genua versus corpus christi usque ad - *per omnia,* - ante - *pax domini,* - et tunc surgant; dicto - *Agnus dei* - flectent genua usque post communionem. In diebus aliis non prosternent se nisi ad elevacionem corporis christi usque ad - *per omnia secula,* - ante - *pater noster.* - Item flectent genua semper ad Introitum misse, - *Salve sancta parens,* - usque - *enixa;* - et in missa de sancto spiritu ad - *alleluia,* - *veni sancte spiritus,* - usque - *reple;* - ad primum versum ympni - *Ave maris stella;* ad finem illius versus - *Te ergo quesumus,* - scilicet - *quos pretioso sanguine redemisti,* - usque dum cantor solus, ut debet incipit - *Eterna fac;* - ad - *salve regina;* - ad - *alma redemptoris,* - que cantatur post completorium, in principio tantum, ut supra dictum est. Item in quadragesima ad septem psalmos cum letania; ad - *pater noster* - et orationes quindecim graduum; ad versum in tractu - *domine non secundum,* - scilicet - *Adiuva nos* - usque - *propter gloriam;* - et ad versum - *O crux ave spes unica* - in ferialibus diebus. Item in vigilia nativitatis domini cum pronunciatur in datario - *Ihesus christus in Bethleem nascitur;* - in passionibus domini cum dicitur - *Et inclinato capite misit spiritum,* - vel simile, similiter omnes prosternant e propter tanti beneficii memoriam; in triduo ante ascha ad psalmum - *miserere mei deus,* - et orationem *Respice;* ad antiphonam etiam - *Christus factus est pro obis,* - et ad - *Homo factus est* - in - *Credo.* - Item in isdem ferialibus diebus ad complendam collectam genua ectant. Notandum quod ubicumque in superiori capi-

tulo in ferialibus diebus iussum est genua flecti, in aliis diebus tantummodo inclinetur, preterquam in precibus prime et completorii, ad quas monachi stent erecti. Similiter in missa post - *orate fratres* - usque ad elevacionem, et ad - *pater noster,* - et ad - *per omnia secula* - precedens, stant erecti. Ebdomadarius etiam, quamvis in diebus ferialibus aliquam orationem flexus dicat, videlicet quando sine tono pronunciat; tamen aliis diebus nunquam inclinet se dicendo, sed stet erectus. Sunt tamen inevitabiles genuflexiones tam in feriis quam extra, ut supra dictum est, que numquam mutantur. Inclinationes que vere sint inclinationes partim hic ex genuflectionibus collige, plenius tamen, et que sunt maiores queve minores, habes supra in cerimoniis regule.

QUOMODO FRATRES DEBENT STARE IN CHORO TEMPORE OFFICII

CAPITULUM XXXII.

Omni tempore quando communiter per choros psallitur, unus chorus contra alium versis vultibus e regione vertatur. In capitulis vero et orationibus, ac etiam in missa quando non genuflectitur vel inclinatur, aut in missa etiam non sedetur, tunc semper stent versis vultibus ad altare. Et semper ad illum versum - *dominus vobiscum,* - quousque responsum fuerit - *et cum spiritu tuo.* - Similiter semper quando sacerdos dicit post orationem - *per dominum nostrum,* - sive fratres sint prostrati *(sive)* inclinati, stent erecti et conversi ad altare, quousque responsum fuerit - *Amen.* - Item genuflexiones non fiunt versus altare, nisi quando corpus christi ibi tractatur. Item solus quicumque aliquid

cantat vel pronunciat stet conversus ad altare, sicut accoliti cantores; exceptis qui dicunt absolutiones et benedictiones ante lectiones, qui tunc stent contra alios versi; nisi quod tunc ad benedictionem evangelicam ante Omeliam, quando lector dicit - *Jube,* - et generaliter ad omne evangelium, stent versi omnes contra altare. Excepto etiam quando imponitur antiphona aut psalmus, quod etiam non oportet fieri contra altare, nisi fieret in medio chori. Ad - *preciosa* - in capitulo per totum stamus versis vultibus e regionibus contra se: excepto quando legitur in martyrologio aut in regula, vel dicimus culpas: tunc fratres sedent.

DE CAPITULO ET CULPIS IN DOMINICA DIE

CAPITULUM XXXIII.

In dominica fiat capitulum eodem modo sicut alio die, nisi quod *(post)* expositionem regule, officiales ex tabula precedentis ebdomade secundum ordinem, scilicet ebdomadarius, accolitus, cantor etc., dicant suas culpas de negligentiis et defectibus per eos commissis, et quod non compleverint sua officia cum devocione, reverentia et diligentia. Et pro penitentia iniungatur omnibus officialibus chori quatenus iaceant prostrati ad - *salve regina* - post sextam. Officiales autem refectorii prostrati stent ad benedictionem mense. Culpe autem dicantur breviter, eodem modo quo dictum est supra. Et ibi tunc admoneantur ac reprehendantur caritative qui non legunt vel cantant, vel non prevident lectiones, aut alias negligentias committunt et non tenent communem modum secundum cerimonias et consuetudines regulares.

DE ORDINACIONE TEMPORIS POST CAPITULUM COTTIDIANUM ET CELEBRACIONE MISSARUM.

CAPITULUM XXXIV.

Facto capitulo dicat prior : qui voluerit celebrare, celebret. Tunc, qui voluerint, vadant ad celebrandum missas suas. Ceteri autem hoc tempore aliquid laborent prout fuerit eis iniunctum, prout dicit beatus benedictus in capitulo XLVIII de labore manuum. Communes autem labores et exercicia fratrum sunt purgare legumina, vel in ortis evellere herbas malas, plantare aliquid, scopare domum, ligare, scribere, corrigere libros; quo tempore exercicii non dissolvent se in verbis, sed orent aliquos psalmos, scilicet pro mortuis. Extra hoc tempus nullus audeat celebrare sine licentia. Igitur hora competenti sonetur pro tercia, et fiat primum signum breve, secundum longius secundum debita intervalla, ut supra dictum est: deinde subsequatur missa conventualis, que semper dicitur in terciis, exceptis missis ieiuniorum, que dicuntur post sextam ; deinde dicitur sexta, sonato post missam uno tantum signo, et dicto - *salve regina* - omnes exeant. Et si est tempus prandendi, ut videlicet post pascha, sonatur campana refectorii. Si vero tempus exercicii, ut post kalendas septembris, sonatur pro exercicio. Facto itaque signo pro exercicio, cum reverentia ibidem fratribus astantibus, iniungat prior opus usque ad nonam, vel alio tempore, usque ad vesperas, iuxta cupitulum XLVIII. Deinde tempore debito sonatur pro nona, et facto primo signo, dimittant que habent pre manibus, ut sint parati ad secundum signum. Finita nona et officio mortuorum,

si est dicendum, sonetur pro mensa, aut pro exercicio. Ad vesperas omni tempore sic sonetur, ut omnia que postea agenda sunt, luce diei compleantur, iuxta XLI capitulum regule, fiatque primum signum prolixum sicut dictum est de matutino, infra quod omnes fratres se recolligant ad sua loca, videlicet lectiones, (?) ecclesiam; fiatque intervallum ad minus septem psalmorum penitentialium; postea, signato secundo signo, devote agant sacrificium vespertinum secundum suas rubricas. Quo finito sonetur ad cenam, sicut infra dicetur de prandio, nisi quod reddant gratias in refectorio, et pro - *Miserere* - dicitur psalmus - *Laudate dominum omnes gentes;* - et facta solita reverentia exeant ad loca sua. Si vero non fuerit tempus cene, post vesperas vadant ad loca sua cum silentio, usque ad pulsum collacionis. Et quia post cenam fratrum habent cenare lector et servitores, ideo sic temperetur hora, ut secunda mensa etiam finiatur ante pulsum collacionis; etiam ipsa secunda mensa non sit sine lectione, sed ipsi sibi ipsis aliquantulum legant in principio, in medio et in fine mense; qua finita, sonetur ad collacionem, ut supra dictum est in primo capitulo. Quando vero post vesperas non cenatur, tunc collacio fiat hoc modo: post vesperas fiat modicum intervallum, infra quod parantur mense cum aqua et vasis ad bibendum; sonatur campana collacionis prolixe, ut omnes possint venire ad refectorium; deinde prior facit modicum signum cum campana refectorii, et facta reverentia crucifixo, stantes e regione ordine suo, servitor tenet cannatam cum vino reverenter ambabus manibus, prior dicat - *Benedicite,* - omnibus simul respondentibus - *Benedicite;* - tunc prior in tono lectionis ad mensam versum istum dicat - *potum caritatis benedicat dextera patris omnipotentis;* - et responso ab omnibus - *Amen,* - vadant sedere ad loca sua. Duobus

tamen fratribus senioribus in qualibet parte conceditur a parte superiori ingredi ante abbatem vel priorem: sic simili modo in choro; et hoc si nondum se locaverit; alias ingrediantur omnes ad sedendum a parte mense inferiori. Et servitor bis infundat, et facto signo ab eo, omnes vadant ad locum lectionis, et fiat lectio sicut habetur in primo capitulo.

DE SONATIONE AD MENSAM

CAPITULUM XXXV.

Postquam fratres exiverint de sexta hora prandendi, vel de vesperis hora cenandi, fiat modicum intervallum, quo fratres possent se expedire de necessitate nature: sonetur primum signum a servitore cum campanella refectorii, prius tamen interrogato coco si coquina sit parata: sonetur autem ad unum - *pater noster.* - Deinde fiat intervallum. quo fratres possint venire de dormitorio ad refectorium: post hoc prior faciet secundum signum cum campanella, et hoc modicum. Intrantes autem refectorium omnes inclinent se reverenter crucifixo, stantes e regione contra se versis vultibus. Tunc prior dicat alta voce - *benedicite* - et respondeant cuncti - *benedicite:* - tunc prior incipit versum - *Oculi omnium,* - vel - *Edent pauperes,* - usque ad primam pausam; deinde omnes simul, cum - *Gloria patri.* - Quicumque vero post - *Gloria* - venerit, prostratus in terra coram fratribus iaceat, quousque facto signo per priorem; et si tales non se correxerint, fiat de eis iuxta tenorem capituli XLIII regule. Postquam vero ebdomadarius pronunciaverit - *Kyrie eleison,* - et benedicta mensa, lector a loco suo procedit ad medium, et submissis atque cancellatis manibus, inclinatus reverenter ad crucem, dicat - *Jube*

domne benedicere - et accepta benedictione ascendat ad legendum: et in fine dicto - *Tu autem* - descendens similiter inclinet. Prior autem, data benedictione, vadat ad locum suum; ante quem potest unus vel duo seniores intrare a parte superiori mense, et consequenter alii a parte inferiori, sedeantque cum summo silentio, iuxta capitulum XXXVIII. Nullus audeat attingere panem nec aliud quidquam comedere, donec prior faciat signum cum cultello super panem percutiendo, vel aliud huiusmodi. Deinde servitor acceptis ferculis a coco ministret ea cum omni reverentia et devocione, ut dictum est, indutus scapulari. Incipiat autem a priore, si presens sit, alias a superiore vel alio seniore. Nullus in mensa audeat partem suam dare alteri, etiam si nolit uti, nisi forte iussus a priore. Sed et si quis partem sibi datam vel cibi vel vini per incuriam aut quovis modo effuderit notabiliter, statim se elevans a mensa dicat suam culpam pronus in terra iacendo, donec fiat sibi signum a priore.

DE FERCULIS ET QUIBUS DIEBUS IEIUNANDUM SIT

CAPITULUM XXXVI.

De numero ferculorum et quantitate panis et vini beatus Benedictus disposuit in regula XLIX et XL capitulis; et de abstinentia carnium ibidem et capitulo XXXVI. Tamen hodie in specu et monasterio tenetur iste modus: quando bis manducatur in die, scilicet quod die dominica, feria tercia et feria quinta, de mane datur ferculum de ciceribus et tellerinis cum subtesto facto ex ovis, caseo et lacte; et fructus etiam qui pro tempore sunt ponuntur ad mensam. Et iisdem diebus pro cena de sero de ovis, scilicet frictura, vel

duo ova sana alio modo facta cum modico caseo. Aliis diebus datur alia bidanda, scilicet de fabis, aut pisellis, vel caulibus, etc., et postea caseum recens cum recocta, aut pisces cum fructibus qui pro tunc possunt haberi: de sero unum ferculum coctum cum caseo et fructibus. De pane autem ponitur cuilibet quantum sufficit, et vinum cum aqua iuxta posita. In diebus vero ieiuniorum, et quando datur unum ferculum, portatur duabus vicibus. Aliis autem diebus ponuntur duo fercula, scilicet de leguminibus vel caulibus, et pisces, si possunt haberi. Verum quia in feriis sextis communiter non dantur ova nec caseus, si aliud haberi potest, nisi magnum fuerit festum. Quibus vero diebus ieiunandum sit, patet ex capitulo XLI regule; primo, in vigilia pentecostes, et generaliter omnia ieiunia precepta per ecclesiam, que nec rumpenda sunt propter hospites, iuxta capitulum LIII. Item a pentecoste usque ad ydus septembris, quarta et sexta feria; ab ydibus usque ad pascha, omni die, excepto dominico. Item adventus, quantum ad ieiunium sine ovis et caseo, incipitur a festo omnium sanctorum usque ad natalem domini. Et ieiunium quadragesime incipitur in quinquagesima. Iste modus ieiunandi secundum practicam regule servandus est. Tamen si calor estatis aut labor exigit, abbas aut prior facit secundum quod dic't regula in prefato capitulo XLI: sic omnia temperet atque disponet, ut anime salventur, et fratres non habeant causam murmurandi.

DE VACATIONE LECTIONIS IN ESTATE

CAPITULUM XXXVII.

Item quia propter variacionem temporis et officii de mane fratres secundum tenorem regule non possunt va-

care lectioni propter missas et prolixitatem officii divini, sicut supra dictum est, que tempore sancti benedicti non fuerunt ita prolixa; idcirco secundum exigentiam temporis et disposicionem Abbatis, prioris vel senioris presidentis, teneatur modus ut per totam estatem usque ad kalendas octubris, in exerciciis non multum necessariis fratres preveniant unam horam ante vesperas, qua possent vacare lectioni et orationi, et recuperare tempus predictum lectionis, sollicite considerando ne per indiscrecionem in quacumque re ultra mensuram graventur fratres. Ita tamen quod a regula non recedatur, sed fiat iusta dispensacio, prout discrecio requirit.

DE MANDATO ET CERIMONIIS SABBATIS DIEBUS FIENDIS

CAPITULUM XXXVIII.

Item Sabbato die, secundum capitulum regule patris nostri benedicti xxxv, fiant mundicies domus, et purgetur ubi est necessarium : ad quod opus omnes concurrant, et cocus intrans spargit aquam ubi debet purgari, et ipse cum uno socio preparet aquam calidam et frigidam pro mandato, et expedita purgacione ante vesperas, quando placet priori, sonet pro mandato ut omnes concurrant. Tunc ambo, videlicet intrans et exiens coci, et ambo servitores refectorii lavent flexis genibus pedes omnium fratrum, et tergant cum lintheo; et post tersionem, cocus, qui tergere debet, faciat signum crucis cum manu super pedem extersum, et deinde osculetur cum socio eumdem pedem summa devocione et reverentia. Secundum pedem, interim quod socius aquam projeit

solus osculatur post tersionem. Et notandum quod in principio, omnibus astantibus, dimissa campana, antequam incipiant lavare, prior vel maior dicat hanc antiphonam stando - *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* - et - *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* - Postea sedeant et incipiant lavare, omnibusque lotis ac sedentibus, prior vel maior dicat sedendo hanc antiphonam - *Congregasti nos, christe, ad glorificandum te ipsum; reple animas nostras sancto spiritu.* - Tunc surgant omnes, et stando dicant simul - *gloria patri* - et - *sicut erat* - deinde prior - *Kyrie, christe, kyrie.* - *pater noster,* - *et ne nos.* ℟. *sed libera.* - ℣. - *salvos nos fac servos tuos,* - ℟. - *deus meus sperantes in te.* - ℣. - *mitte nobis domine auxilium de sancto,* - ℟. - *et de syon tuere nos.* - ℣. - *domine exaudi orationem meam,* - ℟. - *et clamor meus ad te perveniat.* - ℣. - *dominus vobiscum,* - ℟. - *et cum spiritu tuo. Oremus: Omnipotens sempiterne deus dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus habundare. Per eumdem christum dominum nostrum. Amen.*

DE OFFICIALIBUS CONTINUIS MONASTERII ET PRIMO DE ABBATE.

CAPITULUM XXXIX.

Abbatis officium est in regula perfectissime descriptum, scilicet qualis esse debeat abbas, capitulis II et XXII et quomodo ordinari et vivere debeat capitulo LXIV et in multis aliis regule locis, quod ibidem videatur. Hoc etiam pro constanti est tenendum, quod in abbatis dispensacione, prudentia et discrecione, post deum et sanctos, totum augmentum et crementum vite regularis consistit.

Qui si verbo et exemplo in sanctis moribus alios non antecesserit, etiamsi optima vita regularis in aliquo monasterio fuerit, propter vitam suam inutilem necesse est perire. Quantum igitur bonitas abbatis necessaria sit in vita et doctrina, ipse pater noster benedictus in preallegatis capitulis et multis aliis locis expressit, et ibidem clarius videatur.

DE PRIORE

CAPITULUM XL.

Priores tam monasterii quam specus eliguntur secundum privilegium papale: qui electi et confirmati, ipsi quidem ab Abbate, Cellerarii vero a prioribus, habent regere tam in temporalibus quam spiritualibus plena potestate monasteria et personas predictorum monasteriorum. Qui etiam tenentur ordinare vel concedere confessores, prout videtur eis expedire. Tamen secundum nostram laudabilem et antiquam consuetudinem, singuli clerici debeant confiteri priori bis in mense: conversi vero et oblati semel, et insuper in principalioribus festis, hoc est, nativitate christi, pascha, penthecostes et assumptionis beate Marie. Predicti vero priores a domino Abbate post confirmacionem petant casus communes absolvendi ab Abbate concessibiles, videlicet quod possint absolvere ab omnibus casibus, preterquam effusionem sanguinis in altari, vel imposicionem manuum violentam cum sanguine. Et prior sollicitudinem habeat ut clerici quodammodo presbiteris coniuncti communicent in diebus dominicis: conversi vero et oblati, dominica prima mensis. Et non suo iudicio, sed prioris et confessorum suorum a communione abstineant. Alias a priore vel vicario eius reprehendantur et puniantur secundum statuta et ordinaciones apostolicas.

DE CONVERSIS ET OBLATIS

CAPITULUM XLI.

Conversi, qui tenentur ad omnem observanciam propter professionem solempnem, excepto officio divino, si laboriosi fuerint, possunt et debent tractari secundum discrecionem prioris in vigiliis et ieiuniis: si autem non, sunt ad laboreriam; vel nolint, cogantur ad omnem vitam monachorum, et intersint divino officio orantes; nec occupent se cum libris. Tenentur vero orare pro matutino -*pater noster*- centum; pro prima et vesperis, quindecim; pro aliis vero horis, duodecim. Oblati vero habituati, et qui non fecerunt professionem solempnem, si sint laboratores regantur secundum discrecionem prioris, ita ut sint minus obligati ad vigilias et ieiunia officiumque et orationes. Diebus vero dominicis et aliis solempniis ac festivis, qui non sunt occupati, intersint divinis officiis ad omnes horas. Item oblati non abituati, si sunt in monasteriis, confiteantur quater in anno, et commoneantur ut communicent secundum abilitatem ipsorum, ac tractentur secundum possibilitatem eorum et discrecionem prioris.

DE CELLERARIO MONASTERII

CAPITULUM XLII.

Cellerarii eligantur secundum privilegium papale a conventu: qui habent amministrare temporalia secundum commissionem ipsis a prioribus factam; et quales esse debeant beatus benedictus satis describit in regula, capitulo tricesimo primo.

DE SACRISTA

CAPITULUM XLIII.

Sacrista monasterii habet officium Abbatis, iuxta capitulum XLVII. Cuius cura et sollicitudo debet esse ut sic temperet horas operis dei, idest divini officii, ut debitis horis compleantur omnia. Et quia sacrista dicitur ut sacrorum custos, vel custos ecclesie; ideo omni diligentia et sollicitudine ac discrecione tractare debet commissa sibi, et sub sua custodia posita, videlicet paramenta, calices, libros, cereos et ornamenta altarium, ut quando viderit aliquem parvum defectum, subito emendat. Et luminaria ecclesie ordinare, ac lectiones pro matutinis; et alios officiales per ebdomadam disponere, scilicet ebdomadarium, accolitos, cantores, etc. ut omnia que ad cultum divinum pertinent ordinate perficiantur. Et ideo, secundum capitulum regule XXXI beati patris nostri benedicti, sibi et aliis dentur adiutoria et solacia, quando indigent. Et omnia secundum communem consuetudinem et ordinarium sacristie, ad cantandum officium, et ordinacionem altarium fiant, et etiam secundum consilium prioris.

DE VESTIARIO

CAPITULUM XLIV.

Vestiarius habet commissa sibi singula vestimenta que ad usum fratrum, vel ex vetustate, vel quia non indigent, vel non sunt necessaria; et vestimenta noviciorum, et generaliter que ad vestiendum pertinent et calciandum; ipse habet hec gubernare, et secundum

prioris disposicionem distribuere indigentibus et pauperibus, iuxta capitulum LV, de vestiario fratrum. Habet etiam proclamare eos, qui, acceptis novis, non reddunt vetera. Item habet tobalias de mensis refectorii, hospitum et familie dare, sordidas dare ad lavandum, et dissuta ac lacerata ad reformandum; item generaliter omnia utensilia ad scribendum, scilicet calamaria, scripturalia, forvices etc., ipse recolligere et dare fratribus pro cellis, sicut unicuique est necessarium.

DE MAGISTRO HOSPITUM

CAPITULUM XLV.

Fratris, qui hospitum curam habere debet, officium est descriptum capitulo LIII; et ut hoc capitulum, quod pulcherrimum et multum hedificatorium est in regula, in quo dicitur: Ut ergo nunciatus fuerit hospes, occurratur ei, etc. Unde consuetudo talis est: quando ad portam monasterii aliquis pulsaverit, statim portararius respondeat - *benedicite* - vel - *deo gratias* - et aperiens parvulam fenestram portelle, videat quis sit; vidensque quod ibi sunt peregrini, vel homines de longinquis partibus, saltem per unam dietam, quia domestici qui sepius veniunt, hospites non vocantur: ideoque portararius, qui religiosus esse debet, statim vadat ad priorem dicendo quod talis hospes est in porta, et talis vel talis condicionis, prout sibi apparet. Tunc prior vocat fratrem clericum ad hoc deputatum, qui ei occurrat. Et si talis hospes fuerit Abbas vel Episcopus, occurrat ei prior cum alio sibi assumpto; quo veniente ad portam, portararius aperit portam, et frater exiens suscipit hospites cum summa reverentia inclinatus vel prostratus, secun-

dum regulam capitulo predicto, et statim flectentes genua ibidem modicum orent; deinde surgant euntes in ecclesiam ad altare sancti benedicti ante criptam, et ibidem iterum orent paulo amplius quam prius; deinde osculentur, et detur ei osculum pacis; deinde ducantur ad capitulum, et legatur coram eis de scripturis hedificativis. Quo facto, interrogetur super causam sui adventus, ut secundum hoc possit tractare coram priore. Deinde surgant, et clericus presentet eum cuidam converso magistro hospitum: et clericus statim priori significet de eorum presentia et qualitate, ut dictum est. Exhibeatur eis dehinc omnis humanitas, et prior comedat cum eis, si tales sint quod expediat, vel alteri iniungat. Carnes tamen eis in monasterio non dentur, quia nullus sanus debet manducare carnes in monasterio, neque extra infirmariam.

DE HOSPITIBUS

CAPITULUM XLVI.

Omnibus hospitibus per noctem manentibus in monasterio, finito completorio, pedes laventur ab omnibus, et prior vel senior tergat, fratribus sedentibus ordinate et devote; post sonum campanelle, prior cum seniore, deinde bini et bini secundum ordinem quilibet lavet modicum. Finita locione et tersione, prior solus osculetur pedem lotum, deinde omnes per ordinem; secundum pedem prior solus osculetur; si vero fuerint plures hospites, possunt duo tergere. Et finita locione omnium hospitum, prior cum omnibus fratribus cum summa devocione et reverentia flectat genua coram hospitibus ac si coram christo, et dicat versum - *Suscepimus deus misericordiam tuam*; - deinde omnes simul respondeant - *In medio templi tui*, - subiungendo - *Gloria patri* -

Sicut erat. - *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie.* - *Pater noster,* - *Ave maria,* - et cetera ut supra ad mandatum sabbati. Finita oratione, surgant fratres, et reverentia facta hospitibus, vadant ad loca sua, exceptis priore cum uno seniore, quem voluerit vocare, aut pluribus, vel etiam omnibus, secundum exigentiam hospitum; ut si fuerit aliquis Abbas vel Episcopus. Tunc ipsis sedentibus, accedant servitores offerentes vinum, dicentes - *Benedicite.* - Prior benedicendo dicat - *Potum caritatis benedicat dextera dei patris omnipotentis.* - ℟. - *Amen.* - Incipiat bibere hospes, deinde prior, consequenter alii cum silentio. Finita collacione, magister hospitum abducat eos cum reverentia et caritate ad loca sua et quietem. Item nullus hospitum de monasterio licencietur usque post tres dies, nisi aliqua causa specialis occurrat. Sed si ulterius petierit se servari in monasterio, dicatur priori, et prior audiat peticionem hospitis, et postea proponat in capitulo, ut si causa vel devocio petentis honesta fuerit, fiat ei caritas secundum regulam beati patris nostri. Item si quis hospitum infirmetur in monasterio, fiat ei sicut uni de fratribus *(in)* infirmaria. Hoc quoque capitulum diligentissime secundum regulam practicetur, quia in hoc multum hedificantur persone supervenientes, eo modo quo dictum est, et sicut in regula continetur.

DE PORTARARIO MONASTERII

CAPITULUM XLVII.

Portararius monasterii faciat secundum officium sibi iniunctum in capitulo LXVI. Insuper ipse habet recipere etiam de coquina et de cellario que pauperibus ad

portam solent dari; habeatque scultellas et cetera vasa necessaria, ut cuncti pauperes advenientes solito more ante portam monasterii ibi accipiant caritatem. Teneatque semper ostium clausum, summeque sollicitus sit quis intret aut quis exeat.

DE INFIRMARIO

CAPITULUM XLVIII.

Infirmarius eligatur frater qui multe sit compassionis et caritatis, quia maxime hec requirit hoc officium; qui commendatos sibi infirmos per priorem summa sollicitudine pertractet, prout cuilibet opus fuerit, secundum discrecionem et consilium medici. In infirmaria sit coquina per se, ad quam nullus infirmorum ingrediatur, nec unus infirmus sciat quid pro alio coquatur, propter temptaciones et scandala que possent oriri. Habeat etiam omnia vasa sibi necessaria, que cum mundicia conservet. Ipsi autem infirmi per omnia obediant infirmario in hiis que pertinent ad curam infirmitatum suarum. Ibi etiam sint lecti plures et linteamina et vasa ad lavandum infirmos, et cuncta necessaria secundum possibilitatem. Habeantur etiam in infirmatorio celle vel camere seorsum posite, propter infirmos quorum infirmitates sunt contagiose, seu propter fetorem, sive clamorem, vel undecumque alias se compati vel aliis non possent. Fratres qui non graviter infirmi, silentium teneant locis et temporibus suis secundum bonam discrecionem, ut magis infirmis non dent fastidium vel inquietem. Ita ut hii sint, qui in communi mensa comedere possunt infirmaria, ne ipsa infirmaria convertatur in tabernam. Unde si in hac parte per inor-

dinacionem vel servitorum vel infirmorum exorbitatum fuerit contra regularem honestatem, corrigatur a priore, qui talem modum tenere debet, cum omni tamen pietate, ut eum talia non lateant. Et quecumque ad hanc materiam pertinent, regula plene exprimit capitulo XXXVI, ubi videatur plenius.

DE DISPENSATORE, VEL CELLERARIO DOMUS

CAPITULUM XLIX. (*)

In domo dei ordinetur aliquis discretus frater conversus, si fieri potest, vel clericus, qui in cura sua habeat omnia que pertinent ad victum, scilicet vinum, panem, fructus, granum, ova, caseum, species, legumina, oleum et alia consimilia; ipseque dispenset fratribus, infirmis, hospitibus, pauperibus, prout iussum fuerit per priorem vel cellerarium principalem, cui talis dispensator domesticus minister est seu adiutor. Et faciat officium suum cum omni longanimitate et moderamine discrecionis ac pietatis, sicut in capitulo XXXI de officio cellerarii dicitur. Hic semper maneat in domo, quia ab ipso omnes allii, videlicet magister hospitum, infirmarius, portararius pro pauperibus ad portam, et cocus, et ceteri servitores domus habent accipere suo loco et tempore id quod eis debitum est. Et si cui denegaverit, nullo modo cui denegatum fuerit audeat secum contendere, nec murmurare contra ipsum; sed dicat priori, qui, secundum quod ad ipsum pertinet, omnia discrete disponat, ita quod nullus habeat iustam occasionem lamentandi.

(*) Hoc Capitulum, quod hic inscribimus sub N. XLIX, in Codice habet N. XLVIII, qui numerus bis repetitur errore scriptoris. Ideo Capitula quæ sequuntur de unitate minus in Codice differunt a nostra numeratione.

DE MAGISTRO NOVICIORUM ET NOVICIIS

CAPITULUM L.

Magister noviciorum eligatur sapiens, unus de conventu spiritualior qui haberi potest, discretus atque sapienter temperatus, qui sua indiscreta severitate non repellat novicios, nec nimia remissione negligat ipsos probare. Qui novicii qualiter suscipiendi atque tractandi sint sufficienter est expressum in capitulo LVIII regule, de disciplina, videlicet, suscipiendorum fratrum; quod ad litteram teneatur. Ipsi tamen novicii, ut dicit regula, maneant in domo hospitum aliquot dies, in quibus sollicite notetur eorum conversacio, quia possent se ostendere sic quod non essent suscipiendi ad noviciatum: si tamen ostendant bonam voluntatem, etiamsi quandoque excedant, dummodo sine contradictione correptionem apti sunt recipere, non respuentur. Si autem sic presumptuosi fuerint, idest, ut pocius venerint docere quam doceri, nullatenus accipiantur, etiamsi cuiuscumque status aut condicionis existant: quia non proderit animabus eorum nec monasterio. Vestimenta autem noviciorum sint sicut monachorum, excepto quod pro scapulari portent capucium magnum sine cauda, quod nos vocamus barbutam; et loco cuculle, mantellum longum ante apertum, nigrum aut grisei coloris. Item ante annum decimum octavum nullo modo recipiantur, quamvis regula de pueris faciat mencionem, secundum tempus enim, condiciones hominum que modo currunt, nullo modo expedit, prout experientia omnes religiosos de observantia moderno tempore edocuit. Ipsi enim novicii suo magistro confiteantur, nisi forsitan non omnes possit audire, vel casus forent reservati. Ordinem suum teneant

novicii, ut de monachis dicitur capitulo LXIII. Nullus etiam monachorum, cui commissi non sunt novicii, cum eis conversando se audeat impedire, nec ipsi, sine licentia magistri, cum aliquo: et in summa custodia per omnia teneantur.

DE PISTRINO ET SERVITORE EIUS.

CAPITULUM LI.

Pistrinum per se sit, quod frater ad hoc deputatus, sub cura habeat; et quando tempus faciendi panes advenerit, veniant omnes fratres, quando post matutinum vel laudes pro pane sonatum fuerit, et fiant omnia cum silentio et concordia.

DE OFFICIIS GENERALITER IN MONASTERIO PERAGENDIS

CAPITULUM LII.

Hec autem consideracio apud priorem sit ut cuncta que agenda infra septa monasterii sunt, fiant per fratres, maxime conversos, scilicet: ortum, gallinarum custodia ac ferramentorum, et pistrinum; insuper sartoria, calcearia, et hiis similia; que singula sint per personas atque loca et officinas distincta, ita quod quilibet possit exercere officium suum cum silentio et timore dei, secundum capitulum LVII regule. Insuper nullus sine licentia audeat ad officinas intrare predictas, exceptis hiis quibus commissum est, propter scandala, et loquacitatem evitandam. Ea que vero de predictis officinis distribuenda sunt de quibuscumque artibus, distribuantur secundum prioris vel cellerarii disposicionem.

DE OFFICIIS EXTRA MONASTERIUM

CAPITULUM LIII.

Evitetur, quantum fieri potest, ut nullo modo fratres vagentur extra monasterium, precipue clerici, ymo et prior et cellerarius, in quantum possibile est; sed omnia facta temporalia monasterii potius disponantur per honestos laycos vel clericos quam religiosos. Nullum quoque clericum monachum quovis modo extra monasterium mittat pro regimine animarum secularium, quia, nisi hec serventur, observanciam regule erit impossibile perdurare; sed potius patiatur dampnum temporalium, quam animarum; sciens scriptum: primum querite regnum dei, et cetera. Sitque prior sollicitus, ut per suam industriam fratribus sic ministrentur, ut nullo modo ipsi solliciti sint ea querere, nec denarios habere ipsi quavis occasione habeant, aut tractent; sed sic ordinet singula, ut fratres vage mentis nullo umquam tempore spem habere possint de inordinata temporalium consolacione; ut per abstractionem et alienacionem a temporalibus, cogantur nil aliud querere quam deum; quod nobis concedat filius suus dominus noster ihesus christus. Amen.

INCIPIT TABULA

AD INVENIENDUM SUPRA SCRIPTA

CAPITULA

DE OCCURRENTIIS DIVINORUM OFFICIORUM

Hec est quedam determinacio occurrencium divinorum officiorum, que fiunt per anni circulum in Ecclesiis Monasterii Sublacensis et Specus: que determinacio facta fuit de consensu et communi voluntate Priorum et omnium Monachorum dictorum locorum, ad tollendum disceptaciones et dubitaciones nonnullorum interdum occurrentes et conturbantes.

Sic diffinitum est, quod si capelle vel Altaria consecrate et consecrata in dictis locis habent unum tytulum et unum festum, de isto festo fiat Officium duplex minus, si de se non est duplex maius, tam in choro quam in altari. Et hoc modo fiat officium, quod primi vesperi, tercia et missa cantentur ad illud altare de quo fit festum, cum cappa et quatuor candelis, et sonatur ad omnes horas sicut in duplici minori vel unius apostoli. Et preparantur duo legilia de choro et altare in quo fit officium cum tosali et suis legilibus, sicut expedit. In omnibus vero horis aliis fiat ut in duplici minori, scilicet matutinis et completorio et laudibus cum duabus candelis, et laudes fiant sine cappa, etiam si cantaretur a Canticis; et prima et nona legantur, et officium de domina dicatur in choro ad omnes horas, preter in primis vesperis, et ad terciam dicitur in Sacristia:

sexta vero si dicitur ad altare, dicatur etiam de domina ibidem. Excipiuntur festa domine, scilicet Conceptionis et Nivis, in quibus non dicitur de domina in choro, et laudes fiunt cum cappa, et prima et nona cantantur. Et si Sanctus dicte Capelle habet plures festivitates in anno, predicta Rubrica intelligatur de principali festo; de aliis autem fiat sicut habetur in rubrica generali. Si autem Capella vel altare habuerit plures tytulos, videlicet plurimorum sanctorum vel sanctarum, tunc fiat ut supra dictum est de festo principali altaris vel capelle: in aliis vero festis fiat sicut habetur in Rubrica generali, ita tamen quod altaria habentia plures festivitates, de principali festivitate fiat sicut supra dictum est. Excipitur altare sancti Johannis, ubi fit etiam de sancta Katherina officium, ad altare, sicut de sancto Johanne; et in monasterio de sancta Maria Magdalena et de sancta Katherina. De accessoriis autem festivitatibus legatur una missa ad altare cum accolito et duabus candelis. Officium domine numquam dimittatur in choro pro aliquo festo duplici minori predictarum Capellarum vel altarium, nisi esset festum secundum rubricam generalem duplex maius.

Item quia habetur quod infra certas octavas fit de festis occurrentibus numquid illud verbum - *occurrentibus* - debet intelligi de dimissis, vel solum de actu occurrentibus? - *Declaratio*: - secundum consuetudinem nostram intelligitur solum de occurrentibus, et non de obmissis.

Item quod a quinta feria maioris ebdomade usque ad octavam pasche inclusive, et a festo pentecostes usque ad octavam similiter, nulla fiat commemoratio, aliqua consuetudine vel Rubrica non obstante extraordinaria. Item quando festum duplex minus sequitur immediate post festum duplex maius, in secundis vesperis solum

fiat commemoratio de festo sequenti. Si autem sunt paria, in secundis vesperis incipiatur a capitulo de sequenti, salva Rubrica corporis christi, que sicut iacet servari debet; et excepto festo sancti Ieronimi propter Rubricam specialem. Item si festum sancti Nicolai venerit in dominicam adventus transfertur in secundam feriam, propter cappellam, non obstante festo sancti Ambrosi: et incipitur in secundis vesperis a capitulo de sancto Ambrosio. Item in festo Annunciacionis fiat commemoratio de sancto Benedicto in utrisque vesperis, missa et matutinis. Item infra octavam sancte Scolastice in vesperis, laudibus et missa, fiat commemoratio in specu sicut in monasterio; et feria secunda, quando non est festum, in terciis dicitur missa; et in eius festo ympnus - *Christe sanctorum* - sicut in monasterio; et in octava cantatur missa de sancta Scolastica.

Quando in dominica celebratur festum, in primis vesperis et in laudibus commemoratio de dominica precedit alias commemorationes; et si lune die est festum, in secundis vesperis fit prius commemoratio de sequenti festo, et postea de dominica; et si est commemoratio tantum, tunc precedit commemoratio de dominica etiam in secundis vesperis. Item quando in festo simplici incipitur a capitulo de alio festo, et cum hoc est commemoratio tantum, tunc commemoratio tantum precedit commemorationem festi precedentis: sed si hoc venit inter duo festa duplicia, secus fit: verbi gratia, hodie est festum duplex, et cras est festum duplex et cum hoc commemoratio; in secundis vesperis commemoratio tantum sequitur commemorationem festi precedentis ac etiam festi simplicis sequentis.

Item in festo dedicationis Monasterii fiat etiam et in specu de eodem, et hoc minus duplex, et commemoratio per octavam. Item in adventu ad - *Salve regina* -

dicatur versus - *Ora pro nobis* - sicut extra adventum: ad Completorium vero - *Ave maria.* - Item in Quadragesima ad missam de tempore Oratio - *A cunctis* - et - *Omnipotens*: - in festo vero - *Ecclesie* - et tertia ad libitum. Item in missa domine Sabbato post primam, secunda oratio de sancto Benedicto, tertia pro ecclesia. Item ad primam et completorium dicatur confessio ab omnibus sicut habetur in orationali; similiter in capitulo, ad benedictionem mense, et ad gratias post mensam, et in benedictionibus ad matutinum, et orationes ad officium beate virginis dicantur ab omnibus uniformiter, sicut habentur in orationali. Item ad psallendum et legendum lectiones, conformiter cum debitis pausis et accentibus, prout est signatum in libris. Et ympni minoris prolacionis leguntur sub una pausa; maioris vero sub duabus. Item quando dicitur oratio - *A cunctis,* - non est necesse ponere collectas - *Ecclesie* vel - *Deus fidelium omnium pastor* - quia concordant. Item de elbangelio in festo Sancti Benedicti, quod teneatur communiter - *Nemo accendit lucernam,* - et corrigantur missalia.

Item in choro quando ebdomadarius vel cantor est absens, senior eiusdem chori, vel cui iniuctum fuerit, faciat officium. Item nullus se mutat de choro in alterum chorum, sine iussione presidentis vel senioris. Item in missa conventuali fiat inclinacio ad - *Gratias agamus.* - Item omnes inclinationes principales, sicut ad - *gloria patri* - et relique, fiant usque ad genua.

Item principalis - *kyrie eleison* - solum cantatur in festo Nativitatis Christi, in terciis Epiphanye, Pasche, Penthecostes, Corporis Christi, in sancti Benedicti (in Specu, in Monasterio), sancte Scolastice, et Omnium Sanctorum. Item - *kyrie eleison* - minus duplex dicitur in secunda missa Nativitatis Christi, Circumcisione, dominica

palmarum, Cena domini, Ascensione et Trinitate; similiter in aliis festis duplicibus. In vigiliis vero Pasche et Pentechostes quamvis dicatur proprium - *kyrie eleison,* - tamen - *Gloria in excelsis* - dicitur de Apostolis. Item - *kyrie eleison* - de domina dicitur in prima missa Nativitatis christi et omnibus festivitatibus domine, ac missis eius festivis, et in sabbato, tantum quando cantatur in terciis non cantatur - *Gloria in excelsis,* - sed in vigiliis domine fit sicut in aliis vigiliis sanctorum.

Item cantores in Specu in festis duplicibus maioribus omnia que simul imponunt et cantant, ante altare faciunt; in minoribus vero duplicibus privatim ympnos, et psalmos in stallo. Item - *Venite* - et ympnus primi nocturni, in omni festo dicitur ante altare; et in feriis, in stallo. Similiter accoliti, quod simul dicunt; ante altare ordine privatim in stallo. In secundis vesperis minoris quando festum sequitur minor et commemoratio minoris; commemoratio fit de antiphona ad - *Benedictus* - et ℣. de secundo nocturno: ad laudes vero commemoratio fit de secundis vesperis. Si vero fuerit alia commemoratio dicitur antiphona de canticis, et ad laudes de primis vesperis. Item Responsoriis quibus iungitur ad versum - *Gloria;* - habentibus dispartas caudas, prima ponitur pro versu; secunda, pro - *Gloria,* - ut habetur in versu in responsoriis primo Adventus, pro mortuis ultimo. Residua reperies in libello cerimoniorum sacristie.

STRICTISSIME PROHIBETUR ESUS CARNIUM

In christi nomine. Amen. Quoniam dulcis et rectus dominus legem prebet delinquentibus in via: dulcis siquidem delinquentibus, ut crimina pereant et non auctores, eorum conversionem expectando, celestis eruditionis monita mentis oculis, ita ut in rotis divinarum scripturarum existere spiritus cognoscat. Apponendo quandoque vero reum alienis iacturis ut ad cor convertatur admonendo. Interdum autem ubi vult spirans instantanea claritate talium mentes radiando. Inexcogitatis etiam in profundo poliandri delictorum sepultos educens misericorditer in via, ne presentis vite post lapsum a delictis incorrepti, eterna inreparabiliter punitione multentur, et a beatorum patria fiant penitus alieni. Sepe autem et delinquentium reatus presidentium increpatione ac legis medicamento purgantur, ut subditi paterna monitione correpti, in via dominice legis de virtute in virtutem ambulantes, finem ad usque viriliter et indefesse in sanctis operibus perseverent. Ea propter Reverendus in christo pater et dominus, dominus Thomas de celano, dei et apostolice sedis gratia Abbas venerabilis monasterii sublacensis, ad quem monachorum, conversorum et oblatorum omnium dicti monasterii sublacensis et specus correptio, visitatio et reformatio, ac etiam de commissis et obmissis ab eisdem in extremo examine reditio rationis spectare noscuntur, de commissi et crediti sibi dominici gregis reatibus et obmissis increpari formidans in impreventi iudicis examine certis

per eum compertis neglectibus cupiens providere et paterna consideratione cognoscens quod conventus dicti monasterii et Specus, et fratres ipsorum monasterii et Specus, qui omnes faciunt unum conventum, unam congregationem, unum capitulum et unum collegium sub eodem domino Abbate, ad presens humano generis inimico faciente ab observantie forma regularis contra beati Benedicti regule traditionem adeo sunt collapsi, quod eorum animabus preiudicium non modicum generatur et scandalum. Cupiens talibus lapsibus, quantum cum deo poterit, et potest, providere: Constitutus in capitulo et loco capituli dicti sui monasterii sublacensis, et convocatis ac congregatis ad sonum campane more solito ad dictum capitulum Prioribus, monachis et fratribus vocem habentibus, et in quo capitulo presentes fuerunt et convenerunt infrascripti videlicet fratres: Franciscus de Nursia Prior claustralis dicti monasterii sublacensis; Angelus de Fulgineo Prior venerabilis loci Specus; Symon de Rota; Gregorius de Tamaron; Bernardus de Francia; Fridericus de Alamania; Alfonsus de Portugalia; Antonius de Catalonia; Innocentius de Ispania; Jacobus de Bononia; Bartolomeus de Placentia; Nicolaus de Papia; Romanus de Verona; Nicolaus de Maguntia; Ieronimus de Saona; omnes monachi et fratres dicti monasterii Sublacensis et Specus, ordinis sancti Benedicti; asserentes quod omnes sunt fratres et monachi dicti monasterii et Specus, et quod non sunt alii fratres et monachi dicti conventus habentes vocem in capitulo, et possint et debeant ad dictum capitulum evocari. Christi nomine invocato. Ad honorem Dei, beateque et gloriose semperque virginis Marie, et beatissimi patris nostri Benedicti, pro reformatione et conservatione spirituali prefati conventus, ac etiam ad bonam eorum qui foris sunt in domino hedificationem, et pro multorum ablatione scandalorum, una cum supradictis prioribus, monachis et fratribus, statuit, mandavit et ordinavit, idemque priores, monachi et fratres omnes in communi concordia, et nemine discrepante, una cum dicto domino Abbate, statuerunt, ordinaverunt constitutiones et ordinationes infrascriptas, ad perpetuam rei memoriam, perpetuis temporibus valituras, ut infra:

In primis prefati dominus Abbas, priores et monachi inherentes regulari traditioni beatissimi patris nostri Benedicti, unanimiter, eorum nemine discrepante, statuerunt, constituerunt et ordinaverunt quod nullus prior vel aliorum offitialium monachorum, conversorum aut oblatorum, tam presentium quam futurorum, dicti monasterii Sublacensis et Specus, cuiuscumque conditionis, gradus aut qualitatis existant, de cetero audeat aut presumat, quavis occasione, ratione vel causa, etiam sub pretextu alicuius habite licentie a quoquam vel obtente, comedere carnes, tam quadrupedum quam volatilium, in aliquo loco, sive intra fines Abbatie Sublacensis, sive extra; exceptis dumtaxat dictorum monasteriorum Sublacensis et Specus infirmariarum locis: in quibus locis, et eorum quolibet, prefati Priores, secundum eorum discretionem, et alii offitiales conversi et oblati, tam presentes quam futuri, causa infirmitatis vel debilitatis, etiam cum licentia prioris, sive suorum priorum, secundum ipsorum priorum, et cuiuslibet eorum, discretionem, possint et valeant carnes cuiuscumque conditionis et qualitatis, pro eorum opportunitate, et durante tempore opportunitatis, comedere tam presentes quam futuri. Insuper quia quandoque aliqui monachi vel conversi, propter fracturam ossium, vel pro alia infirmitate, fuerunt portati ad domum campi, quia apte non poterat in monasterio dari remedium, voluerunt quod in tali casu dicta domus campi habeatur pro infirmaria, durante infirmitate taliter egrotantium, et non pro aliis.

Item statuerunt et ordinaverunt quod nullus prefatorum priorum offitialium, etiam si sit vicarius domini abbatis, qui vicarius monachus existat dicti conventus, et nullus monachorum, conversorum et oblatorum, tam presentium quam futurorum, de cetero audeat vel presumat comedere aut bibere quidquam in aliqua domo vel loco castri sublacensis et suburgorum eius, nec in aliquo loco castri Marani; exceptis dumtaxat rocha dicti castri Sublacensis, et domo campi et vinea; ac etiam excepta habitatione roche dicti castri Marani.

Item quia pena legis apponitur ut appetitus noxius sub legis regula restringatur: ea propter prefatus domi-

nus Thomas Abbas Sublacensis predictus, cupiens et volens predictas constitutiones, ordinationes et reformationes inrefragabiliter et inviolabiliter observari; sedendo pro tribunali in cathedra sue sedis, posita et sita in dicto capitulo sui monasterii sublacensis, tenore presentium requisivit et monuit omnes et singulos suprascriptos priores, monachos et fratres ibidem presentes, necnon omnes alios et singulos monachos et fratres absentes, si aliqui absint, necnon et omnes conversos et oblatos, tam presentes quam absentes et futuros: et nichilominus eisdem et eorum cuilibet, prioribus, monachis, conversis et oblatis, tam presentibus quam futuris, in virtute sancte obedientie, et sub excommunicationis pena, in quam ex nunc prout ex tunc, ac ipso iure, vel ipso facto, totiens contrafacientes incurrant vel incurrisse intelligantur, quotiens in predictis et quolibet predictorum per eos vel ipsorum aliquem fuerit contrafactum, Precepit et mandavit, ac precipit et mandat, quatenus omnes et singuli priores, officiales, fratres et monachi. conversi et oblati dicti monasterii Sublacensis et Specus, tam presentes quam futuri, debeant in omnibus et per omnia suprascripta capitula, in omnibus et singulis eorum partibus, inviolabiliter observare. Quod mandatum cum pene adiectione suprascripti priores et monachi, nomine et vice monachorum, conversorum et oblatorum, et omnium offitialium dicti conventus, tam presentium quam futurorum, sponte et ex certa scientia admiserunt et gratanter acceptaverunt, et tam pro seipsis presentibus, quam pro aliis absentibus, ratum et gratum habuerunt.

Idem prefatus dominus Thomas abbas predictus voluit et mandavit, vult et mandat, quod si casus contingeret, quod deus avertat, quod aliquis predictorum priorum, monachorum offitialium, conversorum vel oblatorum, tam presentium quam futurorum, ipsarum constitutionum vel alicuius earum, transgressor existeret et reperiretur, et sic excommunicationis predicte penam incurreret, quod dictus transgressor vel transgressores, si plures fuerint, a pena excommunicationis predicta, in quam taliter incurrissent vel incurrisset, non possit aut *(non)* possint absolvi, nisi in capitulo loci in quo

ipse reus, sive rei talis transgressionis pro tunc fecerint seu fecerit residentiam, et per priorem sive vicarium dicti loci. Et si prior vel vicarius aliquorum dictorum locorum Monasterii et Specus, quod avertat deus, in predictis vel aliquid predictorum delinqueret, per immediate seniorem absolvatur, sive absolvantur. Cui vel quibus prefatus dominus Abbas premissa forma plenariam absolvendi in domino exhibet potestatem. Ita tamen quod unicuique delinquenti, etiam si prior vel vicarius aut offitialis existeret, pro ipso modo culpe, hec inremediabiliter et indispensabiliter penitentia iniungatur, videlicet quod unusquisque dictorum, tam priorum, vicariorum, offitialium monachorum, conversorum et oblatorum, tam presentium quam futurorum, qui transgressor in predictis vel aliquo predictorum, extiterit, in pleno capitulo sue residentie disciplinam more solito per manus absolventis recipiat regularem coram omnibus monachis adesse valentibus. Et quod prima sexta feria immediate secutura in pane et aqua, omni remota dispensatione, ieiunet. In quam penam seu penas predicti et eorum quilibet, totiens incurrant et incurrisse intelligantur, quotiens in predictis et quolibet predictorum per eos fuerit contrafactum.

Verum quia necessitas legibus non arctatur, declarans prefatus dominus Abbas intentionem suam in predictis, dixit et vult ac intendit, quod si casus contingeret quod aliquis predictorum priorum, offitialium, vicariorum, monachorum, conversorum et oblatorum, infirmaretur in remotis, ita quod de facili non posset ad aliquam dictarum infirmariarum reportari, quod tunc in tali casu sic infirmus valeat pro eius necessitate nature carnibus uti, tam volatilium quam quadrupedum, pro modo sue necessitatis. Et quod tali durante necessitate non teneatur ad observantiam constitutionis et ordinationis suprascripte carnes edere prohibentis; sed ab omnibus penis contra inflingentes eamdem sit penitus immunis. Et predicta intelligantur prefata necessitate durante.

Omnia et singula suprascripta predicti priores et monachi presentes, nomine et vice omnium monachorum, oblatorum et conversorum absentium, tam presentium quam futurorum, rata et grata ac accepta,

attentis fructibus spiritualibus ex predictis subsecuturis, habuerunt. Et omnia predicta omni modo, via et iure et forma quibus melius potuerunt, laudaverunt, approbaverunt et gratificaverunt eorum et aliorum absentium, tam presentium quam futurorum nominibus, promittentes pro eorum viribus, et in quantum eis deus concesserit, perpetuo inviolabiliter observare.

Actum et datum in dicto capitulo monasterii Sublacensis. Anno domini MCCCCI. Indictione VIIII. Pontificatus sanctissimi in christo patris et domini, domini Bonifatii, divina providentia, pape Noni. Anno duodecimo, die quinta Augusti. Pro cuius, sive pro quorum omnium roboratione et maioris fidei adhibitione, prefatus dominus Abbas mandavit presentes constitutiones sui sigilli Abbatialis Impressione muniri.

EPISTOLA JOHANNIS EPISCOPI ANAGNINI

Venerabilibus viris illibata devotione fulgentibus, priori et conventui commorantibus in Specu prope Monasterium sublacense, ordinis sancti Benedicti, in christo sibi karissimis, Johannes dei gratia Episcopus Anagninus, salutem et sinceram in domino caritatem.

Preces vestras, que semper sapiunt honestatem, libens admittimus, et usque ad normam posse ultimam adimplemus. Cum namque petieritis parvas in vestris oratoriis, altaribus indulgencias concedi per litteras manifestas: idcirco nos, de licentia reverendi patris domini fratris Iohannis dei gratia Sublacensis Abbatis prius optenta, quolibet die toto tempore in perpetuum concedimus omnibus vere penitentibus et confessis, qui gratia devotionis et orationis accesserint ad oratoria et altaria in dicto Specu consistencia, XL dies et ipsis de iniunctis penitenciis dictos XL dies misericorditer relaxamus. Ita quod tota et integra dicta indulgencia sit et perpetuo duret in quolibet oratorio et altari. Insuper rogo quod vestra pro me peccatore sanctitas oret; et cum oraveritis supradictam indulgentiam indulgemus vobis, et vestrum oranti cuilibet.

In cuius rei testimonium presentes nostras patentes litteras vobis concessimus, nostri sigilli appensione munitas.

Data Sublaci sub anno nativitatis domini MCCCXLVIII tempore sanctissimi patris domini Clementis pape sexti, anno eius sexto, mense februarii, die XVII, prime indictionis.

Sicut habetur ex auctographo privilegii abbatis supradicti de cuius licentia data est ista gratia.

INDEX

U. I. O. G. D.